DISSERTATIONVM
ATQVE
PROGRAMMATVM
CRELLIANORVM
FASCICVLVS XII. ET VLTIMVS.



HALAE AD SALAM
TYPIS ET SVMTV I. C. HENDEL.
1784.

Index Diſſertt. huius faſciculi.

CV. Diſſert. ſecularis, *de crimine in excubiis commiſſo; ad L. 5. ſ. 2. D. de re militari.* Occaſione Cap. 84. et 85. pacis religioſae ducentos abhinc annos confectae. Defend. Chriſtian. Gottlieb SCHLENCKERVS, Beyersdorffio-Miſnicus. Viteb. die 4 Octobr. 1755. pag. 1955

CVI. *De pretio legali, ad L. 63. pr. D. ad Leg. Falcidiam;* ad diſceptandum proponit Imman. Theophil. FREYBERG, Dresdenſis. Ib. d. 21 Apr. 1756. 1994

CVII. Obſeruatt. *de ſolutione partis, ad L. 49. ſ. 1. D. de act. emt.* defend. Carl Ferdin. LEISNERVS, Plavia-Variſcus. Ib. d. 3 Mai. eod. 2021

CVIII. Obſeruatt. *de vſu nocturno ſeruitutum in praediis vrbanis; ad L. 14. D. commun. praed. tam vrb. quam ruſt.* ad diſputandum proponit Io. Gottlob HÜTTNER, Plavia-Variſcus. Ib. d. 29 Mai. eod. 2024

CIX. Obſeruatt. *de quaſi poſſeſſione iuris prohibendi; ad L. 11. ſ. 1. de publiciana in rem actione*, ad diſp. proponit Sam. Carol. DVMPFFIVS Longoſaliſſa-Thuringus. Ib. d. 27 Aug. eod. 2042

CX. Obſeruatt. *de emptione ſeruitutis; ad L. 30. ſ. 1. D. de contrah. empt.* ad diſp. proponit Io. Henr. SCHOENBERG, Heyna comitum Saxo. Ib. d. 30 oct. eod. 2045

CXI. Progr. *de foedere inaequali.* Summos in vtroque iur. hon. M. Carolo Beni. ACOLVTHO, ord. philoſ. Aſſeſſori, et Academ. ſcient. vtil. Elect. Mogunt. Soc. ordin. Ib. d. 20 Mart. 1757. conferendos indic. 2048

CXII. Obſeruatt. *de priuilegio doloris; ad L. 34. pr. D. de teſtam. milit.* defend. Chriſtianus Erneſt. BAVERVS, Friſdorfio-Mansfeldenſis. Ib. d. 10 Dec. 1757. 2051

CV.

DISPVTATIO SECVLARIS DE CRIMINE IN EXCVBIIS COMMISSO.

AD L. V. §. II. D. DE RE MILITARI.

DIE VI. OCTOBRIS CIƆIƆCCLV.

Lex V. §. 11. D. de re militari.

ARRIVS MENANDER Lib. I. de re militari.

Qui deſertioni aliud crimen adiungit, *grauius* puniendus eſt: et ſi *furtum* factum ſit, veluti alia deſertio habebitur: vt ſi plagium factum, vel adgreſſura, abigeatus, vel quid ſimile acceſſerit.

Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Articuls-Brief, vom 1. Nou. Anno 1700 n. 6.

Die delinquirende Schild-Wacht ſoll Leib und Leben verlohren haben.

§. I.

Dum *pacis religioſae*, ducentos abhinc annos, diuino beneficio impetratae, memoriam pia recordatione recolimus, Deoque immortali pro libertate ſacrorum et *fructibus* pacis, quae nihil inſidiarum habet, publice et priuatim ſumma grauiſſimaque cerimonia, gratias agimus; Non immerito nos cogitatione et animo conuertemus etiam ad *milites*, quorum virtute et ſanguine maiores noſtri *pacem* quaeſiuerunt. Eleganter enim MARCIANVS, itemque MODESTINVS, aiunt, milites *pro pace excubare*, illorumque *vigilantia* effici [a]), vt tutam tranquillamque fortunam, ſine iniuria

Seueritas diſciplinae militaris eſt fructus pacis religioſae. Excubamus pro pace.

ria

a) CIC. Orat. antequam iret in exilium, Cap. 14.

ria trahamus *L. 13. D. de accuſat. et inſcript. L. 7. §. 1. D. ad L. Iul. mai.* Certe ALEXANDER SEVERVS, ſi AELIO LAMPRIDIO fides eſt, magis ſe, dixit, ſeruare milites, quam ſe ipſum, quod ſalus publica illorum ſalute et diligentia contineatur *b*). Nobis quidem ante oculos verſatur exercitus DIVI MAVRITII, incomparabilis et Glorioſiſſimi Principis, cuius *milites*, incitatione quadam animorum atque alacritate naturaliter innata atque ſtudio pugnandi incenſa *c*), primi Germanos perpulerunt, vt Paſſauiae, *de pace*, et animis in priſtinam concordiam reducendis, conſilia conferrent *d*).

Sed illis quidem temporibus accidit, quod CAIVS IVLIVS CAESAR *e*) ait, non raro accidiſſe, vt *milites*, ex tot victoriis, ſibi *licentiam* immoderate peccandi aſſumerent, freti ſpe *impunitatis*, propter maximas res geſtas. Qua re permotus FERDINANDVS, Imperatoris frater, omnesque Imperii Principes, cum, multa *rei militaris* dedecora in exercitu admiſſa eſſe, intelligerent *f*), in ipſa *lege imperii*, qua *pax religioſa* et commune illud Germaniae foedus ſancitur, diligenter cauerunt, vt *ſeueritas diſciplinae militaris*, qua res Germanorum et priſca gentis gloria per tot ſecula ſteterit et amplificata ſit, reduceretur. Und damit obgedingter Frieds-Stand, und der aufgerichte Landfried, zu Erhaltung gemeiner Sicherheit, deſto beſtändiger, ganz unverhinderlicher, auch unmangelhafftiger gehandhabt werde: So haben wir auch eine gemeine Reichs-Beſtallung und Articuls-Brief, auf gemeinen Reichs-Brauch, worauf Reuter und Knecht, im Fall der Noth, anzunehmen, mit Rath und Zuthun der Stände, und Bothſchaffter ſtellen und begreiffen laſſen *g*). Neque res caruit euentu. *In comitiis* enim *ſpirenſibus*, A. CIƆIƆLXX correctae ſunt *leges militares*, vt ferocia militum metu ſupplicii comprimeretur. Daß wir, bey Berathſchlagung des gemeinen Friedens, unter andern, zu bedächtlichen Gemüth geführt, wie vor Zeiten die teutſche Kriegs-Leut ſich allermänniglichen Tugend, Redlichkeit und Erbarkeit befliſſen, gute Kriegs-Ordnung und Diſciplin gehalten, dadurch ſie bey allen Nationen gerühmet, und aber es nunmehro dahin kommen, daß die alte teutſche Freyheit in Kriegs-Zeiten zu viel mißbraucher und unſchuldige arme Leute allenthalben beſchweret, beleydigt, alle erbare Diſciplin und Ordnung des Reuter- und Kriegs-Rechten in Vergeſſenheit gerathen will; daß wir demnach, zu Erhaltung beſſern Krieg-Regiments, und Pflanzung der al-

b) AEL. LAMPRID. in vit. Alexand. Seu. Cap. 47. *c*) CAES. de Bell. Ciu. Lib. III. Cap. 92. §. 3. *d*) GREGOR. LETI, in vit. CAROL. V. p. 1307. et SLEIDAN. Lib. 24. p. 609. ſeq. *e*) CAESAR de Bello Afric. Cap. 85. §. 9. *f*) CAES. de Bell. Ciu. Lib. III. Cap. 64. §. 4. *g*) Inſtrum. Pac. Rel. ſeu Rec. Imp. de anno 1555. Art. XXXIV. et XXXV. it Art. LXXXIV. et LXXXV.

alten teutſchen Zucht, Erbar- und Redlichkeit, in Kriegs-läufften, uns einer gemeinen Reuter-Beſtallung und Articul-Briefs vergleichen *b*).

Igitur ex *pace religioſa*, praeter alia commoda aſſertae libertatis, etiam hunc *fructum* percepimus, quod, coercita *militum* late vagantium luxuria, et petulantia, vacui metu, non ſolum ab hoſtibus, ſed a noſtris etiam *militibus*, tuti viuere poſſimus.

In primis autem poſt illa tempora, Digniſſimi immortalitate Principes, Saxoniae Electores, *militibus* ſuis metum Numinis diuini, et caſtam ſacrorum, etiam in caſtris, procurationem, praeterea vitae innocentiam, et integritatem, quae homines, ſacris noſtris imbutos, deceat, magna *ſeueritate* inculcauerunt *i*).

Videntur enim Optimi Principes imitati eſſe exemplum NVMAE POMPILII, Regis Romanorum, qui, clauſo Iani templo, poſitis externorum periculorum curis, ciuium animis omnium primo *Numinis metum* iniiciendum, ratus eſt, qui efficaciſſimus ſit ad mitigandum ferocem populum, et efferatos militia animos in officio continendos *k*).

Verum enim vero NVMA quidem, deorum metum, ſine aliquo *commento miraculi*, ad animos deſcendere non poſſe, iudicabat *l*). Nos autem, quanto feliciores ſumus, qui, exploſis ſuperſtitionibus et commentis, expurgatis religionibus et libertate veritatis vindicata, poſt *pacem religioſam*, accepimus *leges militares*, purioris doctrinae ſenſum *militibus* noſtris inſtillantes. Hae enim ex limpidiſſimis fontibus diuinae veritatis promanarunt, ideoque *militum* noſtrorum alacritatem et ſtudium pugnandi non reprimunt, ſed augent et confirmant, nec vanis auguriis, ſed ſpe certae victoriae, expectatione diuini auxilii et conſpectu praeſentis Numinis, illos incendunt, denique *milites* a laſciuia, iniuria et libidinibus, reuocant, ne, contemptu ſacrorum et aſſuetudine voluptatum, a labore et virtute degenerent et corrumpantur *m*).

b) Reuter-Beſtallung zu Speyer aufgerichtet anno 1570. *prooemio* et §. 43. et Rec. Imp. de anno 1570. §. 2. et. 4. *i*) Articuls-Brief IO. GEORG. Elect. Sax. de anno 1631. n. 2. in Cod. Aug. Tom. I. p. 1984. IO. GEORG II Elect. Sax. de anno 1664. n. 2. p. 2025. et de anno 1673. n. 1. et 2. p. 2030. IO. GEORG. III. Elect. Sax. de anno 1680. n. 1. p. 2035. et FRIDER. AVG. Reg. Pol. et Elect. Sax de anno 1697. n. 1. p. 2079. et de anno 1700. n. 1. p. 2093. *k*) LIV. Lib. I. Cap. 19. *l*) LIV. ibid. *m*) TAC. Hiſt. Lib. II Cap. 62. et 67. Artic. Brief IO. GEORG. Elect. Sax. de anno 1631. n. 2. Soll ein jeder Kriegs-Mann ſich gottloſer Worte und Werke enthalten, und den Sieg wider den Feind von oben herab von Herzen bitten ꝛc. in Cod. Aug. Tom. I. p. 1984. et Art. Brief IO. GEORG. II. Elect. Sax. de anno 1673. n. 1. et 2. Nachdem zum erſten von Gott dem Allmächtigen, als dem Urſprung alles Gutens, alles Glück,

Impenſe igitur in hac *ſeculari celebritate* et communi congratulatione omnium bonorum gaudeamus, de immortali *pacis religioſae* beneficio, quod exercitus noſtri a ferocia et luxuria ad cultum Numinis et innocentiam reuocati ſint; quod non ſolum ad virtutem et animi magnitudinem, ſed etiam ad modeſtiae et continentiae laudem excitentur n); quod *ſeueritas diſciplinae militaris* a furtis, rapina, et latrociniis, eos retineat; quod tranquillus et ſerenus beatae *pacis* ſtatus in legum militarium tutela conquieſcat o).

Nobis igitur haec venia dabitur, vt, in ſolemni gaudiorum apparatu, ſermonem *militarem*, de *excubiarum ſanctitate*, communibus votis, precationibusque, intermiſceamus.

Neque vero timemus, ne illud argumentum a ſtudiis noſtris alienum eſſe videatur. Noli enim exiſtimare, quod ſanctitatem illam et diligentiam, qua in excubiis opus eſt, in ſolis *militibus* deſideremus. Omnes, quibus reipublicae adminiſtratio committitur, et qui muneribus praeficiuntur, pro ſalute publica iubentur excubare. *L. 14. C. de Aduocat. diu. Iudicior.* MARCVS TVLLLIVS, quamuis caſtra aliis relinquat, tamen in vrbe ſibi manendum eſſe, iudicat, quaſi *in vigilia* quadam conſulari, ſenatoriaque p). In vrbe enim, ait, ſedem ſuam eſſe, hanc ſibi *vigiliam*, hanc *cuſtodiam* aſſignatam, hoc praeſidium ſtatiuum q), in quo ciuium ſalutem, tanquam in *ſpecula* quadam collocatus, ab imminente tempeſtate tueatur r). Quapropter, quae de *excubitoribus* diſputamus, ad omnes pertinere, arbitramur.

§. II.

Excubiae. Excubitores. Stationes. Stationarii milites.

Excubiae videntur ſanctiſſimum militiae munus fuiſſe, cum omnes fere labores militum communi *excubiarum* nomine comprehendantur. THEODOSIVS enim et VALENTINIANVS, veteranos decuriones, dicunt, qui per tredecim annos *inculpatas excubias* peregerint, hoc eſt, qui expleuerint annos *militiae*, vt immunitate digni cenſeantur. *L. 3. C. de ſilent. et decur. eor.* C. CORNELIVS TACITVS corruptae rei militaris indicium ex eo capit, quod milites VITELLII nec principia noſcerent, nec *vigilias* ſer-

Glück, Seegen und Gedeyen, herrühret, derſelbige auch einig und allein, wie er ſich in ſeinem heiligen Worte geoffenbaret hat, geehret und angebetet ſeyn will: So muß vor allen Dingen ſolches zu jederzeit wohl beobachtet werden. Derowegen befehlen wir rc. daß ſie zuförderſt Gott den Allmächtigen jederzeit vor Augen haben, fleißig zur Kirchen gehen, den Gottesdienſt mit Andacht abwarten, und ſich ſeiner heiligen Sacramenten öffters gebrauchen ſollen. Welcher aber Gott läſtert rc. Eadem fere verba in omnibus legibus militaribus Saxonicis n. 1. et 2. repetuntur p. 2045. p. 2047. p. 2079 et alibi paſſim.

n) CAES. de Bell. Gall. Lib. VI. Cap. 52 § 4.

o) VALER. MAX. Lib. II. Cap. 7. pr.

p) CIC Orat. Philipp. I. Cap. 1.

q) Id. Orat. Philipp XII. Cap. 10. et Lib. XI. Epiſt. ad Brutum XXIV.

r) Id. Orat. Philipp. VII. Cap. 7.

ſeruarent *ſ*), et quamuis aduerſus pericula feroces fuerint, tamen laboribus et *vigiliis* parum intenti eſſent *t*). Certe imbellis dicitur exercitus, cuius milites veterani, nunquam *ſtationes*, nunquam *vigilias*, iniuerint, cum in his praecipua militum diligentia conſpiciatur *u*). Explicate IVSTINIANVS, omnia militum officia *vigiliis* et ſolertia contineri, tradit, vt omnes pro commiſſis ſuae *cuſtodiae* prouinciis *inuigilent*, et ab omni hoſtium incurſione ciues illaeſos tueantur. *L. 2. ſ. 4. C. de Offic. praef. praet. Afr.* MODESTINVS etiam atque MARCIANVS, quod ſupra obſeruatum eſt, dum milites deſcribunt, illos *pro pace excubare*, aiunt, vt nomine *excubationis* omnia militiae munera complecti videantur. *L. 13. D. de accuſ. et inſcript. L. 7. ſ. 1. D ad L Iul mai.* Hac ſignificatione BIBVLVS, quod Caeſar teſtatus eſt, ipſe, grauiſſima hyeme, in nauibus *excubabat*, nullumque *laborem* aut *munus militiae* deſpiciebat *x*).

Generaliter dicuntur *excubare*, qui, relicta re familiari, e laribus ſuis egreſſi, *foris* occupati ſunt, quod ad omnes milites pertinet, qui *muneribus militiae* funguntur. Ita ille apud PLAVTVM volebat, ſibi paratas eſſe *excubias foris*, vt commodius diuerteret a ſuis *y*). MARCVS TVLLIVS etiam, Lacedaemoniorum magiſtratus, in Paſiphaes fano, ſomniandi cauſſa *excubare* ſolitos, hoc eſt, relicta domo, noctu in Paſiphaes templo commoratos eſſe, docet, quia uera ſomniorum oracula eſſe crediderunt *z*).

Omnes igitur *excubant*, qui domibus egreſſi, *foris* in agmine aut exercitu verſantur. Sed proprie et ſpecialiter illos, qui *vigilant* pro aliis et quaſi in *ſpecula* quadam conſtituti ſunt, vt aliquid cuſtodiant aut obſeruent, et, quae improuiſa obuenerint, renuncient, *excubare*, *excubias* agere, *excubias* facere dicimus. Sic

— — vigilum excubiis *obſidere portas*
cura datur Meſſapo, et moenia cingere flammis a).

ISIDORVS habet *excubitores*, delectos ex numero militum, qui perpetuo in porticibus propter regalem *cuſtodiam excubabant b*). MARCVS CATO, in libro de re militari, etiam *procubitores* appellat, hoc eſt, velites, qui noctu, cuſtodiae cauſſa, ante caſtra excubant, cum hoſtium copiae in propinquo ſunt *c*).

Sed

s) TAC. Hiſt. Lib. II. Cap. 93. *t*) Id. Hiſt. Lib. III. Cap. 69. *u*) Id. Annal. L. XIII. Cap. 35. *x*) CAES. de Bell. Ciu. L. III. Cap. 8. §. 4. *y*) PLAVT. *Caſina* Prolog. v. 54. *z*) CIC. de diu. Lib. I. Cap. 43. *a*) VIRG. *Aen.* Lib. IX. v. 159. *b*) ISIDOR. Orig. Lib. IX, Cap. III. voce *excubitor*. *c*) CATO apud FESTVM voce: *procubitores*.

Sed obſeruandum eſt, *excubias*, quae cuſtodiae et ſpeculandi cauſſa agebantur, non vni duntaxat militi, ſed pluribus, interdum toti *legioni*, aut *cohorti*, commiſſas eſſe. Apud VIRGILIVM MARONEM

> *omnis per muros* legio *ſortita periclum,*
> excubat, *exercetque vices, quod cuique tenendum eſt d).*

GALBAE percuſſores terruit reſpectus *cohortis excubantis*, quae *excubias* agebat e), cui OTTO viritim decem aureos diuiſit, quoties principem coena aut hoſpitio ſuſciperet f).

Caſtella CAESARIS etiam noctu *excubitoribus* et firmis praeſidiis tenebantur g). Praeterea SVIDAS *φρέροι excubitores* interpretatur, τάξιν ſeu ordinem excubantium, qui per vices ἐκ διαδοχῆς, armati exercitum cuſtodiebant h) AENEAS, vetus ille Scriptor rei militaris, in *Poliorcetico*, *multos milites* deſiderat in *ſtationibus*, vt alii aliis per vices, ad agendas *excubias*, ſuccedant. Breues enim, inquit, debent eſſe *vigiliae*, et ſaepius mutari, ne quid clam parari poſſit, et ne *excubitores*, ſi diutius *vigilias* agant, occulte aliquid cum hoſte machinentur i).

Excubabat igitur tota *legio* aut *cohors*, ex qua *ſinguli*, ſorte delecti, per vices in *vigilia* et *cuſtodia* conſtituebantur k. Hi igitur *ſinguli* in *ſpecula* et *vigilia* conſtituti, proprie excubias agebant, et a noſtris, die Schild-Wacht, appellantur, et diſcedere non poſſunt, donec illis viciſſim alii ſuccedant. Ex horum numero fuit VOLSCENS ille, qui, cum aliquid inſoliti obſeruaret, in *excubiis*, ferme noſtrorum militum more, proclamabat:

> *State viri, quae cauſſa viae? quiue eſtis in armis?*
> *Quoue tenetis iter? l)*

Sed tota *cohors* m), aut *legio*, erat quidem in *excubitu* n), et *excubabat*, noſtri: Die Compagnie war auf der Wache; ſed non proprio ſenſu *excubias* agebat, quod munus *ſingulis* aut *paucis* imponebatur. Nimirum *cohortes excubantes* potius in *ſtatione eſſe*, quam *excubias agere*, et *vigilare* dicebantur. *Noſtri:* Die Compagnie war auf der Wache, die einzelnen Soldaten auf ihrer Schild-Wacht und auf ihren Poſto. Hoc PAGANI-

NVS

d) VIRG. *Aen.* Lib. IX. v. 174. e) SVET. in *Otton.* Cap. VI. f) Idem ibid. Cap. IV. g) CAES. de Bell. Gall. Lib. VII. Cap. 69. §. 7. h) SVIDAS, in voce: *Φρεροί*, Tom. II. p. 1089. Edit. Colon. i) AENEAS in Comment. Poliorcet. Cap. 22. qui extat inter Scriptores rei militaris p. 447. Edit. Veſaliana. k) VIRG. *Aeneid.* Lib. IX. v. 271. *Silius Ital.* Lib. X. v. 594. *Petri Pantoia de Aiala* Comment. in *L. fin. C. de Aleator.* §. 26. in Theſ. OTTON. Tom. IV. p. 1044. l) VIRG. *Aeneid.* Lib. IX. v. 376. m) SVET. in *Otton.* cap. 4. n) HIRT. Comment. de Bello Hiſp. cap. 6. §. 4.

NVS GAVDENTIVS o) obſeruat quidem, ſed idoneis argumentis non comprobat. Plura autem exempla ſunt in promtu, ex quibus hoc diſcrimen intelligitur. Sic tota *cohors* apud CAESAREM, pro portis caſtrorum, in *ſtatione* fuiſſe, dicitur p) Tota *cohors* etiam, teſte TACITO, *ſtationem* in palatiis agebat q), et *ſtationes* diſpoſitae erant per omnem ripam r), hoc eſt, multitudo militum, qui ripam tuebantur. Forſitan NISVS et EVRYALVS etiam inter *plures* alios milites

— — communi *portam* ſtatione *tenebant* ſ).

Et *multi milites* apud CLAVDIANVM,

— — vigili *muros* ſtatione *tuentur* t).

TIBERIVS NERO *ſtationes* militum per Italiam, ſolito frequentiores, diſpoſuit contra graſſatores u). CLAVDIVS vero militum et Germanorum *ſtationes* abduxiſſe et palatio expuliſſe dicitur x), a quo poſtea dormiente, *ſtatio* militum receſſit y). T. LIVIVS etiam auctor eſt, equites interdum a *ſtationibus* progreſſos, mox ad ſuos ſe recepiſſe z). Ex quo intelligitur, *ſtationes* non eſſe *ſpeculas*, in quibus *ſinguli* aut *pauci vigilabant*, cum ex loco, *ſingulis* aſſignato, progredi omnino illis non liceret. Sed *ſtationes* eſſe *locum* communem, in quo *omnes* equites conſiſtebant, vt *praeſidio* eſſent, et per *vices* hoſtem obſeruarent. Idem LIVIVS commemorat, mutatum eſſe morem *ſtationum*, cum equites armati omnes et frenatis equis diem totum in *ſtationibus*, hoc eſt, in loco toti turmae equitum aſſignato, cum magno incommodo perſtarent a). Vides, alios in ſtatione eſſe, et excubare, alios *excubias agere* et hoſtem e *ſpecula obſeruare*. *Totae* enim *cohortes* et *turmae* in *ſtationibus* ſunt, quod nos *corpus cuſtodiarum*, die *Corps de Garde*, appellamus. Sed ex his *ſinguli* aut *pauci* delecti *excubias* faciunt et in *ſpecula* collocantur. Haud dubie ad hoc diſcrimen reſpexit MODESTINVS, qui *L. 3. §. 5. et 6. D. de Re Mil. militem ſtationis* munus relinquentem, ab eo, qui ab *excubatione* deſiſtit, diligenter diſtinguit, et vtrumque deſertoribus quidem comparat, ſed in hunc tamen grauius animaduerti iubet, qui *excubationem*, quam qui *ſtationem*, deſeruerit. Qui enim a *cohorte excubantium* egreſſus eſt, quamuis ipſe *excubias* non ageret, *ſtationis* munus relinquiſſe dicitur. Sed miles, cui *cuſtodia certae rei* aſſignata erat, ab *excubatione* deſtitiſſe iudicatur. Prior a *ſtatione plurium*: Von der Wache, poſterior a loco, in quo

ſigil-

o) PAGAN. GAVDENT. iuridic. expoſ. Lib. II. cap. 20. in Theſ. *Otton.* Tom. III. p. 381. p) CAES. de Bello Gall. Lib. IV. Cap. 32. §. 1. q) TAC. Hiſt. Lib. I. Cap. 29. r) Id. Hiſt. Lib. IV. Cap 26. ſ) VIRG. *Aeneid.* Lib. IX. v. 184. t) CLAVDIANVS in Ruffin. Lib. II. v. 59. u) SVET. in Tib. Cap. 37. x) Id. in Ner. Claud. Cap. 34. y) Id in Ner. Claud. Cap. 42. z) LIV. Lib. XXX. Cap. 11. a) Id. Lib. XLIV. Cap. 33.

ſigillatim conſtitutus fuerat: Von ſeinem *Poſto*, diſceſſit, ideoque rempublicam in maius periculum induxit.

Neque tamen diſſimulo, veteres non ſemper hoc diſcrimen diligenter obſeruaſſe. MARCVS TVLLIVS enim, *ſedem*, *vigiliam*, *cuſtodiam*, in qua *excubabat*, et *praeſidium ſtatiuum*, quaſi promiſcua vocabula inter ſe coniunxit b). HIRTIVS, pedeſtres copias, in *ſtatione* et *excubitu*, caſtris praeſidio fuiſſe, ait c). Praeterea TACITVS interdum *vigilias*, *cuſtodias* portarum, nullo diſcrimine appellat d). Enim vero hoc non eſt nouum, ſaepiſſime nomina ſpecialia illarum rerum, quae ex eodem fonte deſcendunt, confunduntur. Sed nos quidem in hoc libello tractamus de *criminibus excubitorum ſingulorum*: Von der delinquirenden Schild-Wacht, qui non tam in *ſtatione* et *tota cohorte excubantium militum*, ſed in *ſpecula* et *cuſtodia*, in qua ſinguli conſtituti ſunt, crimen admiſerunt. Hi enim, cum *ſoli* ſpem et ſalutem omnium ſibi commiſſam ſuſtineant, plus nocent delictis ſuis, quam illi, qui ex *ſtatione plurium* diſcedunt. In legibus Saxoniae militaribus diligenter haec duo diſcernuntur. Illi enim, qui *cohortem excubantem* et *ſtationem*, ſeu *munus militare* ſibi commiſſum negligunt: Die ſich zur Wache nicht einfinden, compedibus et vinculis coercendi ſunt. His vero, qui in *excubiis* et *cuſtodia* ſibi aſſignata delinquunt, ſeueritas diſciplinae militaris vltimum ſupplicium minatur. Keiner ſoll von der ihm anbefohlnen Wache bleiben. Denn die ſich zur Wache nicht einfinden, ſollen in Band und Eiſen geſchlagen werden, die delinquirende Schild-Wacht aber Leib und Leben verlohren haben e).

Relinquerem hunc locum, niſi me adhuc tenerent *ſtationarii* milites, qui et ipſi *excubiis* et *cuſtodiis* agendis in militia adhibebantur. Admonendum eſt autem, non omnes, qui *excubias* agunt et in *ſpecula* vigilant, *ſtationarios* milites recte appellari. Hoc enim nomen illis tantum militibus videtur tributum eſſe, qui ab omnibus aliis muneribus militiae immunes, propter ſolas *excubias* et *vigilias*, in certis locis faciendas, alebantur. VLPIANVS docet, Praefectum vrbi habuiſſe milites *ſtationarios*, per vrbem diſpoſitos, ad tuendam popularium quietem, et ad referendum ſibi, quid in vrbe agatur. *L. 1. ſ. 12. D. de off. praef. vrb.* Hi igitur aliis muneribus militaribus vacui, collocabantur in *ſtatione*, vt *excubiis* et *vigiliis* defungerentur. *Stationarii* milites etiam fugitiuos comprehendere et dominis reddere iubebantur. *L. 1. ſ. 4. et L. 4. D. de fugit.* Videtur etiam eis hoc munus impoſitum fuiſſe, vt indicium facerent criminum, quae ab ipſis

b) CIC. Orat. Philipp. XII. Cap. 10.

c) HIRT. Comment. de Bello Hiſpan. Cap. 6.

d) TAC. Annal. Lib. I. Cap. 28.

e) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Art. Brief de an. 1700. n. 6. in LÜNIGII Corp. Iur. Milit. p. 816.

ipſis obſeruata eſſent et reos apud iudicem deferrent. CONSTANTINVS certe coniunxit *curioſos* f) et *ſtationarios*, illosque admonuit, crimina non ſolum nuncianda eſſe, ſed probationis neceſſitatem ipſis etiam impoſitam eſſe, ne innocentes deferrentur. *L. 1. C. de curioſ. et ſtation.* Idem alio loco *ſtationarios* ab vrbanis militibus et ceteris ſeiunxit. *L. 5. C. de vect. et commiſſ.* Extremo CONSTANTINVS habet *ſtationarios* quosdam, quaſi apparitores praeſidum et magiſtratuum, qui reis delictorum inſidiabantur, ſed his quidem, reos in carcere et cuſtodia apud ſe habere, non licebat. *L. 1. C. de cohort. princ.* Ea de cauſſa Imperatores CONSTANTINVS et CONSTANS *ſtationarios* illos cum abiectis, deformibus miniſteriis, et cum faece officiorum coniungunt, illosque a dignitatibus excludunt. *L. 6. C. de dignit.*

§ III.

Excubitores appellantur vigiles. Vigiliae diviſae.

Egimus de *excubitoribus*, qui vel in *ſtatione* ſunt, in *corpore cuſtodiarum*, vel ipſi *excubias* agunt, in *ſpecula*, cuſtodiae cauſſa a praefecto collocati. Sed, ne poſtea nos aliquid perturbet, admonendum eſt, etiam *vigilum* et *vigiliarum* nomen *excubiis* et *excubitoribus* accommodari. CORN. TACITVS *vigilias* et *cuſtodias* portarum, in quibus excubiae agebantur, inter ſe coniungit g). *Idem*que alio loco commemorat *vigilias*, quae *ſtationibus* anteponebantur h), vt ſtationes commilitonum tutas et vacuas periculo praeſtarent. EVRYALVS apud VIRGILIVM *excubitores* portarum, qui in *ſtatione* erant, *vigiles* appellat,

— — vigiles *ſimul excitat*: *illi*
Succedunt, *ſeruantque vices*, *ſtatione relicta* i).

Eadem ſignificatione LVCANVS caſtrorum *vigiles* nominat, qui in caſtris *excubabant* k). FLAVIVS VEGETIVS RENATVS, tempore belli, inprimis in ipſis muris ac turribus tuguriola collocanda eſſe, docet, in quibus *vigiles*, ſeu milites *excubantes* hybernis menſibus, ab imbribus et frigore; aeſtiuis a ſole defendantur l). *Idem* alio loco, milites, qui *excubitum* faciant, *vigilandi* cauſſa in *ſpeculis* permanere, ait m). PAVLLVS etiam, *vigiles* nocturnos, illorumque *tribunos* n) ait *excubias* egiſſe, eos-

f) Hi etiam *nunciatores* dicebantur, qui notoriis crimina iudici deferebant, hoc eſt, qui, per notoria, ſeu literas, occulta crimina iudici nota faciebant. *L.* 6. §. 3. D. *ad SCtum Turpill.* vid. BARN. BRISS. de Verb. ſign. Lib. XII. voce: *notorius*, et Lib. XVII. voce: *ſtationarius*. g) TAC. Annal. Lib. I. c 28. h) Id. c. 50. i) VIRG. *Aeneid.* Lib. IX. v. 221. k) LVCANVS de Bello ciu. Lib. VII. v. 25. et Lib. V. v. 510. l) VEGET. de Re milit. Lib. IV. Cap. 26 m) Id. Lib. III. Cap. 8. n) SCIP. GENTIL. Orig. ad Pand. Lib. ſing. in Theſ. OTTON. Tom. IV. p. 1359.

eosque familiam *vigilum* circa muros portasque diſpoſitam, incendii extinguendi cauſſa, collocaſſe. *L. 1. D. de off. praef. vigil.* SVETONIVS TRANQVILLVS inprimis coniungit *vigiles* et *excubias* nocturnas, et AVGVSTVM, narrat, aduerſus incendia *excubias* nocturnas, *vigiles*que commentum eſſe, qui vrbem metu vacuam praeſtarent [o]. Ipſe etiam MARCVS TVLLIVS, curam ſenatorum et conſulum, qui pro republica excubant, *vigiliam* conſularem et ſenatoriam appellat [p], vt videri poſſit, nihil diſcriminis inter *excubias* et *vigilias* fuiſſe. Sed idem MARCVS TVLLIVS alio loco, *vigilias* ab *excubiis* et cuſtodiis ſeiungit: Si hae *cohortes*, inquit, ſi *excubiae*, ſi *vigiliae*, ſi delecta iuuentus, quae tuum corpus cuſtodit, contra MILONEM armatae ſunt [q]. Ex quo loco intelligitur, alio conſilio *excubias* agi, alio *vigilias* diſponi. Videlicet ISIDORVS [r] et LAVRENTIVS VALLA [s] obſeruarunt, *excubiarum* generale nomen, ad omnes *cuſtodes* pertinere, ſed *vigilias* magis *nocturnas* eſſe *excubias*, quae noctis tempore, ceteris dormientibus, diſponantur. CORNELIVS TACITVS *ſtationes* et *vigilias* eodem modo, vt *diurna* et *nocturna* munia diſtinguit [t]. Videntur itaque *nocturnae excubiae* inprimis *vigiliarum* nomine notari. Hinc FABIVS QVINCTILIANVS inter duriſſimos labores militiae retulit, ſi pro vallis et portis *vigilandum*, cum ſomni cupiditas, contra naturam, expugnanda ſit a *vigilibus* portarum [u]. AENEAS [x] et FLAVIVS VEGETIVS RENATVS [y] obſeruant, *breues* eſſe *vigilias* debere, quia impoſſibile videatur, in *ſpeculis* per totam noctem, *vigilantes* ſingulos permanere, et quia vix humana diligentia caueri poſſit, ne ſomnus obrepat illis, qui longiore tempore *vigilias* agere iubeantur. Hac de cauſſa *nocturnae vigiliae* in quatuor partes diſſecantur, ne *vigiles*, vltra tres horas noctis tempore, cogantur *vigilare* [z]. Ipſum etiam noctis tempus in *vigiliam primam*, *ſecundam*, *tertiam* et *quartam* diuiditur more militari [a]. VEGETIVS obſeruat, etiam nomina militum, qui per vices noctu *vigilias* fecerint, breuiculo ſeu commentario inſcripta, ne quis duriſſimo munere ſaepius, quam alii, oneretur, aut ne cuidam a moleſtiſſimo labore militari immunitas praeſtetur [b].

Specialiter igitur, qui noctu *excubant*, *vigiles* appellamus, qui ſingulari iure inter reliquos vtuntur, cum non ſolum propter hoſtes, ſed propter ipſos etiam mi-

o) SVET. in Aug. Cap. 30. p) CIC. Orat. Philipp. I Cap. 1. q) CIC. Orat. pro Milon. Cap. 25. r) ISIDOR. Orig. Lib. IX. Cap. 3. voc. *excubiae.* s) LAVR. VALLA de elegant. lat. ling. Lib. IV. Cap. 69. t) TAC. Annal. Lib. XI. Cap. 18. u) QVINCTIL. Declam. III. Cap. 16. x) AENEAS in Comm. Poliorcet. Cap. XXII. y) VEGET. de Re milit. Lib. III. Cap. 8. z) Id. loc. cit. vid. LVCANVS de Bell. ciu. Lib. V. v. 507. SIL. ITALICVS Lib. VII. v. 154. a) SVET. in Aug. Cap. 78. Id. in Calig. Cap. 54. b) VEGET. de Re milit. Lib. II. Cap. 19.

milites, *noctis* tempore, ſumma ſit neceſſitas *excubiarum*. Qui enim nobis inſidiantur, *furta noctis* c), ſibi opportuna eſſe, exiſtimant, vt inopinantes atque imprudentes clanculum aggrediantur, et quia ipſi milites, quod CAESAR obſeruauit, *noctu*, poſito pudore, difficilius in officio contineri poſſunt d): Ipſum tempus *noctis* TACITVS appellat illud ſpatium, in quo *excubiae* diſponi ſolent e), quia *excubiarum* et *vigiliarum* maximus ſit vſus, cum tenebrae oboriuntur. *L. 1. D. de offic. praeſ. vig.* Ob ſummam enim vtilitatem nocturnae *vigiliae*, et ob magnitudinem periculi nocturni, inſignis quaedam diligentia ab illis, qui noctu *vigilias* agunt, adhibenda eſt, ne paucorum culpa omnes ex improuiſo in diſcrimen adducantur. Quapropter maxima cautione obſeruantur *vigiles*, ne ab officio deſiſtant, *illis*que praeficitur *tribunus*, qui teſſeram accipit et *excubitores* deſides coercet f). Praeterea ad *centurionis* partes olim pertinebat, vt initia *vigiliarum* nunciaret g), ſtationes et vigilias ambiret h). Poſtea, ſublapſa militari diſciplina, electi *circuitores*, ſeu *circitores* qui *vigilias* circumirent, et ſi qua emerſerit culpa, *tribunis* aut *centurionibus* renunciarent, ideoque circitores i) nominati ſingularem gradum militiae obtinuerunt k).

Tanta ſolertia opus fuit in diſponendis et obſeruandis *vigiliis*, quarum fidei et diligentiae communem ſalutem omnium in maximo periculo credebant. Hac de cauſſa grauius animaduertendum eſt in *vigiles nocturnos*, qui officium deſeruerunt, vt deinceps apparebit.

Ex his vero intelligitur, *nocturnos excubitores* inprimis *vigilum* officio defunctos. Sed, vt diximus, quia *nocturno* tempore *vigiliis* carere non poſſumus, omnes *excubitores*, quaſi a potiori et praecipuo illorum munere, quod noctis tempore obeunt, *vigilum* nomen acceperunt, quamuis interdiu et luce excubias faciant; Non ſecus, ac Germani, nomine der Wachten, omnes excubias etiam diurnas comprehendunt. Praeterea, quoniam *vigiliae* ſolertiam aliquam et diligentiam ſingularem, qua omnia improuiſa obſeruantur, poſtulant, omnes labores, qui aſſiduitate et intentione quadam animi ſuſtinentur, *vigiliarum* et *vigilantiae* nomine notamus. Eleganter PLAVTVS:

Vigilare *decet hominem, qui vult ſua tempore conficere officia* l).

Immo vero, quod CICERO m) ex veteri poeta omnibus commendat:

Vi-

c) QV. CVRT. Lib. IV. Cap. 13. §. 9. d) CAES. de Bello Ciu. Lib. I. Cap. 67. §. 3. e) TAC. Hiſt. Lib. II. Cap. 44. f) SVET. in Claud. Cap. 42. Id. in Neron. Cap. 8. et 9. g) TAC. Annal. Lib. XV. Cap. 30. Id. Hiſt. Lib. I. Cap. 28. h) QVINCT. Declam. III. Cap. 12. i) Vid. L. 5. §. 4. D. de inſtit. act. vbi *circitores* commemorantur. Alii legunt *circatores* aut *circuitores*. k) VEGET. de Re milit. Lib. III. Cap. VIII. l) PLAVT. *Rud.* Act. IV. Sc. II. v. 16. m) CIC. Orat. pro CN. PLANC. Cap. 24.

Vigilandum *eſt ſemper: multae inſidiae ſunt bonis.*

Ex his intelligitur, *vigilum* nomen omnibus *excubitoribus* quidem, qui *excubias* agunt, conuenire, ſed ſanctiſſimum et ſpeciale munus militiae fuiſſe *vigilias nocturnas.* Illud expeditum eſt, leges militares Imperii Romano-Germanici, non ſolum in illis, qui noctu, ſed etiam qui interdiu excubias agunt, vigilantiam deſiderare et ſupplicium minari militibus, qui tempore quocunque dormiant in excubiis, in quibus vigilare debuiſſent: Da einer auf der Schild-Wacht ſchlafend befunden wird ꝛc. der ſoll Leib und Leben verlohren haben *n*). Nec minore ſeueritate Saxonum leges excubitorum ſocordiam et ignauiam coercent, cum ſomnum ſibi obrepentem, ne quidem ebrietatis obtentu, excuſare poſſint. Keiner ſoll die Schild-Wache verſchlafen ꝛc. oder dergeſtalt trunken darauf kommen, daß er ſolche nicht beſtellen könne *o*). Quoniam igitur omnes *excubitores*, quocunque tempore aut loco *excubiae* agendae ſint, *vigilare* debent, omnes *vigilum* nomen ſortiti, Sie ſind auf der Wacht, quaſi perpetuae ab ipſis vigiliae agantur. Sed a *vigiliis* militum diſtinguendae ſunt *excubiae vigilum nocturnorum,* qui ex AVGVSTI inſtituto in vrbe, noctu, ad prohibenda incendia, et graſſatores coercendos, per omnes partes oberrabant, et diſpoſiti erant circa muros et portas, unde, ſi opus eſſet, euocabantur. *L. 1 D. de off. praef. vigil.* Hi enim ſolis *vigiliis* nocturnis occupati, olim parebant Triumuiris nocturnis *L. 1. D. de off. praef. vigil.* Poſtea *diuus* AVGVSTVS *p*) huius rei procurationem ſibi ipſi conuenire credidit, ideoque ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit, vt binas regiones vrbis vnaquaeque cohors tueretur. His praepoſiti tribuni et ſuper omnes *praefectus vigilum,* qui cauſſas nocturnas iudicauit *L. 1. in fin. et L. 3. pr. D. de off. praef. vigil.*

§. IIII.

Cuſtodia militaris. Cuſtodes.

Excubant igitur milites et *vigilant*, ſed *cuſtodiae* cauſſa, vtque res ſibi commiſſas ab aliorum iniuria *defendant* atque tueantur. Quapropter milites, qui excubias faciunt, non modo *vigilum*, ſed etiam *cuſtodum*, nomen acceperunt. MARCVS TVLLIVS *vigiliam*, *cuſtodiam*, praeſidium

n) Reuter-Beſtallung de an. 1570. n. 180. in *Lünigii* Corp. Iur. Milit. p. 73. Hoc. repetitum iſt dem Art. Brief vor die Reichs Völker, de anno 1672. n. 58. Schläft einer auf der Schild-Wacht, es ſey im Felde oder Garniſon ꝛc. der ſoll arquebuſiret werden. ibid. p. 120. It. Kayſer LEOPOLD. Art. Brief n. 32. p. 103. Kayſerl. Maj. auch Churfürſten und Stånden Articuls-Brief vor die Reichs-Armee de anno 1682. n. 60. p. 152. Art. Brief des Frånkiſchen Creiſſes de anno 1695. n. 45. p. 430. et alibi paſſim. *o*) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Art. Brief de an. 1700. n. 6. p. 816. *p*) SVETON. in Aug. Cap. 30.

dium coniungit, cum haec tria excubitorum officio contineantur q). Inprimis milites in prouinciis, commiſſas ſibi regiones *cuſtodire*, tueri et defendere iubentur. *L. 2. ſſ. 4. C. de off. praef. Afr.* Ita BIBVLVS apud CAESAREM, diſpoſitis diligentius *cuſtodiis*, ipſe in naue excubabat r). Hi ſunt illi milites, quibus

— — *ad portas cecidit* cuſtodia *forti* s),

et qui *cuſtodiam* portae ſibi commiſſae multis vulneribus retinuerunt t). Generaliter igitur, qui excubias faciunt, etiam *vigiles* et *cuſtodes* dicebantur. Interdum tamen ſeparantur *cuſtodes* ab aliis excubitoribus, cum excubiae quidem praeſidii cauſſa, vt ad *omnia* inſolita attendant, in locis opportunis collocentur, *cuſtodes* vero *certis* tantum *rebus*, quae ſpecialiter ipſis commiſſae ſunt, ſeruandis, et ab iniuria defendendis in periculo, praeficiantur. Inprimis milites *limitanei* iubentur fines ſibi commiſſos *cuſtodire. L. 2. ſſ. 4. et l. 8. C. de off. praef. praet. Afr.* u). Nota eſt *cuſtodia* portarum et liminum, quae in domibus priuatorum oſtiariis et ianitoribus x) committebatur. *L. 61. D. de Legat. III. L. 12. ſſ. 9. et 42. D. de inſtr. et inſtr. legat.*

— *cernis* cuſtodia *qualis*
veſtibulo ſedeat? facies quae limina ſeruet y).

AVGVSTVS dicitur, *cuſtodes* conſtituiſſe in vrbe, ne domus priuatae propter raritatem remanentium a graſſatoribus diriperentur z). Sed inprimis neceſſaria credebatur *cuſtodia* corporis: Die Leib-Wacht, quam Romani Principes Germanis commiſerunt a), donec GALBA cohortem Germanorum, multis experimentis fideliſſimam, diſſoluit, ac ſine vllo commodo in patriam remiſit b). DARIVM plerumque equites, *cuſtodiae corporis* adſueti, in exercitu comitabantur c), et ALEXANDER principum Macedoniae liberos adultos ad *cuſtodiam corporis* alebat d). Sed hos quidem *cuſtodes* corporis QV. CVRTIVS ab armigeris et militibus, qui ante cubiculum Principis excubabant, ſeiungere videtur e). Contra vero VIRGILIVS MARO eundem armigerum et *cuſtodem* corporis appellat:

armiger

q) CIC. Orat. Philipp. VII. Cap. 7. r) CAES. de Bello Ciu. Lib. III. Cap. 8. §. 4. Id. de Bello Gall. Lib. II. Cap. 78. §. 5. s) VIRG. Geo. Lib. IV. v. 165. t) SVET. in Caeſ. Cap. 68. et TAC. Ann. Lib. I. Cap. 28. u) VIRG. *Aeneid.* Lib. I. v. 568.

— — *et late fines* cuſtode *tueri.*

x) OVID. Amor. Lib. I. Eleg. VI. v. 1. ſeqq. y) VIRG. *Aeneid.* Lib. VI. v. 574. z) SVET. in Aug. Cap. XLIII. a) TAC. Annal. Lib. I. Cap. 24. Id. Annal. XV. Cap. 58. SVET. in Calig. Cap. 55. et Cap. 58. b) SVET. in Galb. Cap. XII. c) QV. CVRT. Lib. III. Cap. 9. §. 4. Id. Lib. V. Cap. 12. §. 9. d) Id. Lib. V. Cap. 1. §. 42. e) Id. Lib. VIII. Cap. 2. §. 11.

armiger *ante fuit, fidusque ad limina* cuſtos *f*).

TIBERIVS dicitur, ſtationes militum aſſumſiſſe ad cuſtodiam corporis *g*): ſed TACITVS auctor eſt, etiam vxori Principis et matri, honoris cauſſa *cuſtodes* corporis datos et militares excubias adiunctas *h*). Multi quoque filiabus ſuis *cuſtodes* dederunt, qui ſtupratores et adulteros aditu arcerent. HORATIVS FLACCVS commemorat,

— — *Acriſium virginis abditae*

cuſtodem *i*)

a IOVE et VENERE deceptum. Et TIBVLLVS DELIAM ſuam docuit, qua arte *cuſtodes* ſuos poſſit eludere *k*). Hi vero *cuſtodes* puellarum quidem, videntur ſeruilis plerumque conditionis homines fuiſſe, cum Poetae *l*), illos non raro verberibus confectos et catenis vinctos, munus ſuum obiiſſe, comminiſcantur. Praecipue autem *reos*, criminis accuſatos, militum *cuſtodiae* traditos, VLPIANVS docet. *L. 1. D. de cuſtod. et exhibit. reor.* Ait enim, Proconſules aeſtimare, vtrum in carcerem recipienda ſit perſona, an *militi* tradenda, vel fideiuſſoribus committenda, vel etiam ſibi. Hoc autem vel pro criminis, quod obiicitur, qualitate, vel propter honorem, aut propter ampliſſimas facultates, vel pro innocentia perſonae, vel dignitate eius, qui accuſatur, facere ſolent. SCAEVOLA vero et VENVLEIVS SATVRNINVS tradunt, reos non facile, niſi *confeſſos*, in vincula coniiciendos eſſe. *L. 4. pr. D. ad L. Iul. mai. L. 5. D. de cuſt. et exhib. reor.* Ante *confeſſionem* igitur, vel ab ipſis ſenatoribus et magiſtratibus, obſeruabantur rei, quae *cuſtodia* libera *m*) appellabatur, vel *militibus cuſtodiendi* tradebantur. *L. 3. D. de cuſt. et exhibit. reor.* CALISTRATVS et VLPIANVS habent reum, qui vinculis vel *cuſtodia* militari impeditus eſt, ne in iudicio ſe ſiſteret. *L. 4. §. 1. D. ſi quis caut. in iud. L. 10. D. ex quibus cauſ. mai.* Et ANTONINVS reum quoque in integrum reſtituit, qui ſtato die ad arbitrum non venerat, cum illo tempore, iuſſu praeſidis, *militari cuſtodia* detineretur. *L. 2. C. ex quibus cauſ. mai.* Praeterea CONSTANTINVS, *militarem cuſtodiam*, carcere et

f) VIRG. *Aeneid.* Lib IX. v. 673. *g*) SVET. in Tib. Cap. 24. *h*) TAC. Annal. Lib. XIII. Cap. 18. *i*) HORAT. Carm. Lib III. Od. XVI. v. 5. TIBVLL. Lib. I Eleg. VI. v. 36. PROPERT. Lib. II. Eleg. VI. v. 37. *k*) TIBVLL. Lib I. Eleg. VI. v. 9.

— — *miſer docui quo poſſet ludere pacto cuſtos.*

l) OVID. de art. amand. Lib. III. v. 625. TIBVLL. Lib. I. Eleg. VI. v. 36. PROPERT. Lib. II. Eleg. VI. v. 37. *m*) TACIT. Annal. Lib. III. Cap. 22. Id. Annal. Lib. I. Cap. 25. RAEVARD. Varior. Lib. III Cap. 12. p. 619. FERANDI *Aduenſis* Explicat. Lib. I. Cap. 9. in Theſ. OTTON. Tom. II. p. 514. et IAC. LECTIVS ad MODESTINVM de poenis ibid. Tom. I. p. 150. ſequ.

et vinculis honeſtiorem eſſe, affirmauit. *L. 2. C. de exauctor. tribut.* PAVLLVS noſter tractauit de *milite*, qui cum eo, quem *cuſtodire* debuerat, deſeruiſſe cenſebatur. Hunc enim capitali ſupplicio dignum iudicauit. *L. 38. §. 11. D. de poen.* Et HADRIANVS generaliter reſcripſit, *milites*, qui *cuſtodias* ſuas amiſerint, ipſos in periculum adduci. *L. 12. D. de cuſt. et exhib. reor.* TRAIANO autem non placuit, reos citra neceſſitatem *militibus cuſtodiendos* dari, cum non facile milites a ſignis auocandi ſint, et *cuſtodiae* ſeruis publicis committi poſſint [n]).

Habes *ſpecialem cuſtodiam* rerum et reorum, militibus commiſſam, in qua, ſi munus ſuum deſeruerint, propter inſignem perfidiam, duriore poena digni iudicantur.

§. V.

Noſtri igitur milites excubant et vigilias agunt, cuſtodiae cauſſa, vt a rebus, fidei ſuae commiſſis, iniuriam arceant, ſeque imminenti periculo opponant. Hoc autem, cum fieri non poſſit, niſi *e longinquo* proſpiciant oborientem tempeſtatem, *in ſpeculis* diſponuntur excubiae, vt ſua *vigilantia* prohibeant, ne quid improuiſum et inopinatum nos perturbet. Ita MISENVS ille apud VIRGILIVM MARONEM dat ſignum, *Speculatores.*

— — ſpecula *ſublimis ab* alta [o]).

AENEAS, probatiſſimus ſcriptor rei militaris, tradit, in periculis, et cum hoſtes in propinquo ſint, *hemeroſcopos*, in loco edito et qui e longiſſimo interuallo ſit conſpicuus, collocandos eſſe, vt renuncient, ſi quid inſoliti ab ipſis obſeruetur, hosque, ait, a *ſpecula* plerumque *ſpeculatores* appellari [p]). Videtur autem inter *ſpeculatores* et *vigiles* hoc diſcrimen intercedere, quod hi quidem noctu magis munus militare obeant; *ſpeculatores*, qui ex loco edito noctu nihil proſpicere poſſunt, interdiu potius ſuo officio fungantur. Hinc et *hemeroſcopi* dicuntur, quaſi *diurni* rerum hoſtilium *obſeruatores*. Eſt igitur haec ſpecies aliqua excubitorum, qui in loco alto, quaſi in *ſpecula* et cuſtodia conſtituuntur, vt illorum miniſterio, quae hoſtes nobis minantur, quam longiſſime praeuideamus [q]). MARCVS TVLLIVS coniungit illos, quorum oculi nos *ſpeculantur* et cuſtodiunt [r]), vt appareat *ſpeculatores* eſſe genus aliquod cuſtodum. CLAVDIVM Imperatorem *ſpeculatores* cum lanceis in conuiuiis circumſtiterunt, quaſi corporis cuſtodes [s]). Sed T. LIVIVS habet *ſpeculatorem*, ex genere eorum, quos Graeci *hemerodromos* appellant, qui ingens vno die ſpatium emenſus ſit, vt

n) PLIN. Lib. X Epiſt. XXXI. o) VIRG. *Aeneid.* Lib. III. v. 239. p) AEN. Comment. Poliorcet. Cap. 6. inter Script. Rer. mil. p. 416. q) CIC. Orat. Philipp. VII. Cap. 7. r) Id. Orat. in Catil. 1. Cap. 2. s) SVETON. in Tib. Claud. Cap. 35.

vt eo, quo deſtinauerat, veniret t). AVGVSTVS, teſte SVETONIO, aluit eiusmodi *curſores*, qui litteras afferrent et coram, quid geſtum ſit, renunciarent u). Ad CALIGVLAM peruenerunt quoque *ſpeculatores*, qui litteras a Regis Britannorum filio ipſi exhibere iuſſi erant x). Fuiſſe autem *ſpeculatores* ordinem quendam militum, quem veteres a reliquo exercitu ſegregatum habuerunt, intelligitur ex loco VLPIANI, qui ait *ſpeculatores* ſpolia reorum poſt ſupplicium, ſibi vindicaſſe. *L. 6. D. de bon. damnat.* Hi enim etiam ſupplicium ſumſerunt a damnatis et iuſſu Centurionis, milites gladio obtruncarunt y). Ex his conſtabat *legio* ſpeculatorum, quae a reliquo exercitu ſeiuncta rationibus ſeparatis vtebatur. Quapropter non auſim milites excubantes cum *ſpeculatoribus* conferre z). Sunt et alii *ſpeculatores*, qui in *ſpecula* et inſidiis conſtituuntur a), quos Romani, ab hoſtibus miſſos, et in exercitu deprehenſos, interficere ſolebant b). Hoc genus *ſpeculatorum*, T. LIVIVS ait, plerumque ſeruili veſte, milites nihil ſuſpicantes decepiſſe c), ſed FESTVS *illos* ab *exploratoribus* diſtinguit d).

Noſtris quidem militibus ſeuere interdictum, ne cum hoſtium *ſpeculatoribus* aliquid negotii habeant, neue litteras ab eis accipiant, eisue reddant, cum, qui talia auſi ſunt, crimine maieſtatis polluantur. *L. 1. ſ. 1. D. ad L. Iul. mai.* Alle Correſpondenz, Communication und Handlung mit dem Feinde oder deſſen Zugehörigen, ſie ſey ſchriftlich oder mündlich, ſoll an Ehre und Gut, auch Leib und Leben geſtraft werden e). Hoc conſilio AENEAS ſuaſit, vt ſaepius mutentur excubiae, ne excubitores a *ſpeculatoribus* hoſtium litteras accipere, aut proditione rempublicam in periculum adducere poſſint, ſi diutius in *ſpecula* maneant, aut ſaepius in eadem ſtatione collocentur f).

§. VI.

Sanctitas excubiarum. Excubiae non ſunt munus ſordidum.

Expoſuimus de officiis *excubitorum*, quae nobis perſpecta eſſe debuerunt, vt de *crimine* in *excubiis commiſſo* certi aliquid conſtituere poſſimus. Sed ab *excubitoribus* deſideramus, vt in loco, in quo conſtituti ſunt, *perſiſtant*, donec reuocentur, vt *vigilent* pro exercitus ſalute, vt res fidei ſuae commiſſas *cuſtodiant*, vt *ſpeculentur* e longinquo, quid hoſtes moliantur, et

t) LIV. Lib XXXI. Cap. 24. u) SVET. in Aug. Cap. 59. x) Id. in Calig. Cap. 44. y) L. ANN. SENEC. de Ira Lib. I. Cap. 16. z) SALMAS. in Ael. Spart. vit. Adriani Cap. XI. a) CIC. Orat. pro L. Muraen. Cap. 37. b) HIRT. de Bello Hiſp. Cap. 13. §. 2. et RAEVARD. Coniect. Lib. III. Cap. 14. c) LIV. Lib. XXX. Cap. IV. d) FEST. de Verb. ſign. voce: *explorator.* e) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Articuls-Brief de anno 1700. n. 10. apud *Lünig.* in Corp. Iur. Mil. p. 817. f) AEN. in Comment. Poliorcet. Cap. 22. in Script. Rei Mil. p. 448.

et ſi quid *inſoliti* obuenerit, renuncient Praefecto. Apparet, in periculis ſalutem omnium bonorum, fortunamque belli, inprimis ab *excubitorum* ſolertia pendere, vt, cognitis hoſtium machinationibus, parati illis occurrere poſſimus. Nouimus patrum noſtrorum memoria, res proſperas conuerſas exiguo momento, maxime incuria *vigilum* et negligentia *excubitorum*. *Germanis* aliquando funeſtum fuit, quod nocte feſta ac ſolemnibus epulis ludicra, in ſtationibus per cubilia et propter menſas ſtrati, imprudentes deprehenſi ſunt ab hoſtibus armatis *g*). Sed iisdem *Germanis* etiam profuit, quod viderunt, Romanorum exercitum, disiecto agmine, incurioſis vigiliis, per agros commeare *h*). *Vitelliani milites* perierunt, quia parum intenti erant vigiliis, et ſecuri expeditionem faciebant *i*). Immo vero, ne domus quidem priuati cuiusquam tuta eſſe poteſt, niſi dominis quaedam *cuſtodia* praeſtetur *L. 1. pr. D ad SCt. ſilan.* Quae cum ita ſint, ſatis mirari non poſſum, qua ratione AHASVERO FRITSCHIO *k*) et plerisque aliis in mentem venire potuerit, quod *excubiae* inter *ſordida* munera referendae ſint, ideoque honeſtioribus perſonis immunitas ab excubiis praeſtetur. Siue enim *conſilium* et *cauſſam*, propter quam *excubiae* diſponuntur, animo contempleris, ſiue ipſum *genus laboris* cogites, in quo *excubitores* occupati ſunt, nihil *ſordium* in re tam ſalutari et ſanctiſſima inuenietur. Enim vero, vt omnes *vacui* ſint metu, efficiunt excubitores. Noſtri: Die Schild-Wachten ſind hauptſächlich zu Handhabung der allgemeinen Ruhe und öffentlichen Sicherheit ausgeſtellet *l*). Sed et *genus laboris*, quem *excubitores* obeunt, honeſtiſſimum eſt, et cum laude maxima coniunctum. *Excubant* pro ſalute omnium, quod ne ſummi quidem *principes*, ſua perſona indignum, iudicarunt. Ipſi *Triumviri nocturni* et *Praefectus vigilum*, quem leges noſtrae *virum ſpectabilem* appellant, in vrbe *excubabant*. *L. 1. et L. 3. D. de offic. praef. vigil.* *Centuriones* et *tribuni* agebant ſtationes *m*), et vel *neceſſitatis* gratia, vel *honoris ſpecie* interdum vigilabant *n*). *Magiſtratus o*) et inprimis *aediles* non raro ad aedes ſacras *excubare* et vigilias inire iubebantur *p*). Apud *Macedonum* Reges, principum filii adulti, in caſtris faciebant *excubias q*). Circa GALBAE *cubiculum* ſemper equeſtris ordinis iuuenes, qui euocati appellabantur, *excubias* agebant *r*). BIBVLVS etiam, quod

g) TAC. Annal. Lib. I. Cap. L. *h*) TAC. Hiſt. Lib. V. Cap. 22. *i*) TAC. Hiſt. Lib. III. Cap. 69. *k*) AHASV. FRITSCH. de iur. excubiar. Cap. 7. §. 3. *l*) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. erneuerte Ordonnanz de anno 1752. Cap. 7. §. 99. p. 79. *m*) TAC. Hiſt. Lib. I. Cap. 28. *n*) TAC. Annal. Lib. II. C. 67. Id Annal. Lib. XV. C. 30. *o*) PARDVLPH. PRATEII Iurisprud. vet leg. Solon. XLII. in Theſ. OTTON. T. IV. p. 418. *p*) CIC. Orat in Verrem IX. Cap. XLIII. *q*) QV. CVRT. Lib. VIII. Cap. VI. §. 2. *r*) SVET. in Galb. Cap. 12.

quod ſupra obſeruatum eſt, dux agminum, ipſe in nauibus, ſi res poſtularet, *excubabat* s). Praecipue milites videbantur macula quadam in exercitu notari, ſi *excubias* nunquam iniiſſent t). Interdum etiam totae cohortes in *ſtatione* erant, vt hoſtem propinquum obſernarent. Ipſius CAESARIS *Imperatoris* haec fuit conſuetudo, vt, ſi milites opus facerent, ipſe *excubias* obiret, et cohortaretur milites, ne quod omnino tempus ab opere intermitterent u). Nihil igitur dedecoris habet labor *excubationis*, quem maximae dignationis homines ſubire non detrectant.

Venio ad *alterum* laborem *excubitorum*, qui *vigilias* agere iubentur. MACER ait, ad officium illorum, qui exercitui praeſunt, pertinere, vt *vigilias* circumeant et rem honeſtiſſimam ſua auctoritate confirment. *L. 12. §. 2. D. de re mil.* Quare VEGETIVS praecipit, *idoneos* et *probatiſſimos* a Tribunis eligendos eſſe, qui *vigilias* circumeant, et ſi qua culpa emerſerit, renuncient Tribuno x). Certe, in illa parte, quae hoſtium inſidiis maxime opportuna eſt, inprimis tempore obſidionis, collocandi ſunt *vigiles*, qui plurimum poſſident, quique *honoratiſſimi* cenſentur, et in publicis rebus maximam partem obtinent y). MARCVM TVLLIVM non pudet, in vrbe, quaſi in *vigilia* quadam conſulari et ſenatoria, manere z). Quid igitur *ſordidi* eſt in *vigiliis*, quarum munus etiam viris *honeſtiſſimis* deferri poteſt?

Tertium excubitorum munus eſt *cuſtodia* rerum, quae ipſis committuntur. Sed qui *cuſtodiae* munus, quaſi *indecorum* et *ſordidum* detrectant, illis non in mentem veniunt,

cuſtodes *Numidae Dii* a),

et ſanctiſſimus ille

gentis humanae pater atque cuſtos b),

qui *curam* omnium ſuſcipit, *vigilias* puriſſimorum geniorum circa nos diſponit, ſuaque *cuſtodia* omne periculum a nobis propulſat. Ab HORATIO FLACCO inuocatur

montium cuſtos, *nemorumque virgo* c).

FLAVIVS DOMITIANVS aedem Ioui *cuſtodi* dedicauit d). Credam, auſuros fuiſſe Romanos ſuis Numinibus *cuſtodiam* ſui delegare, ſi hanc *ſor-*

s) CAES. de Bello Ciu. Lib. III. Cap. 8. §. 4. t) TAC. Annal. Lib. XIII. Cap. 58. u) CAES. de Bell. Gall. Lib. VII. Cap. XXIV. §. 2 et 5. x) VEGET. de Re Mil. Lib. III. Cap. 8. y) AEN. in Comment. Poliorcet. Cap. 22. z) CIC. Orat. Philipp. I. Cap. 1. a) HOR. Carm. Lib. I. Od. XXXVI. v. 3. b) Id. Carm. Lib. I. Od. XII. v. 49. c) Id. Carm. Lib. III. Od. XXII. v. 1. d) SVET. in Domit. Cap. 5.

ſordida munera referri putauiſſent. Obuerſatur animo AVGVSTVS, Optimus ille

— — — *Romulae*
Cuſtos *gentis* e),

quem, nomine *cuſtodis*, Romani toties a profectionibus ſuis reuocarunt. IANVM veteres, *cuſtodem* pacis venerati ſunt f), et magiſtratibus *cuſtodiam* commendauerunt, inprimis Praefecto vrbi, quem IVVENALIS g) cuſtodem vrbis nominat h), quia Princeps vrbem eius fidei commitere ſolebat. *L. 1. ſſ. 1. de offic. praef. vrb.* *Ianitoris* etiam ſeu *oſtiarii* Sacri Romani Imperii officium cum ſumma et ampliſſima dignitate coniunctum eſt, quod olim antiquiſſimis temporibus a Burggrauiis Norimbergenſibus geſtum eſſe traditur i). Poſtea vero ad illuſtriſſimam gentem Comitum A WERTHERN, iure inueſtiturae feudalis, ſub titulo Caeſareae Maieſtatis et Sacri Romani Imperii *ianitoris hereditarii:* Der Kaiſerl. Maj. und des Heil. Röm. Reichs Erb-Cammer-Thürhüter-Amts, peruenit, atque inter ſumma et ſplendidiſſima peruetuſtae gentis ornamenta, iure ſanguinis, ad poſteros transmittitur. Hoc munere etiam hodie in curia Imperatoris ſolenni, maxime in coronatione, publice funguntur k). Praeterea DAVIDES, Rex Iudaeorum, *ianitoris* et *cuſtodis* munus, in aede Numinis ſuſcipere maluit, quam diutius in latronum palatiis aut tuguriis haerere *Pſalm. 84. v. 11.* Non attingam munus tutelae, quae pupillorum *cuſtodia* eſſe dicitur l), neque *cuſtodiam* partus, quae *honeſtiſſimis* matronis a magiſtratibus demandatur. *L. 1. ſſ. 10. D. de inſpic. vent. L. 1. ſſ. 3. et 6. D. de agn. et alend. lib. Honorarii* etiam tutores adminiſtratoribus, quaſi *cuſtodes* et obſeruatores, adiunguntur. *L. 3. ſſ. 2. D. de adm. tut.*

Quartus Excubitorum labor eſt, vt ex *ſpecula* obſeruent et explorent, quid eminus geratur. Sed etiam hi, qui reipublicae praeſunt, quaſi in *ſpecula* m) conſtituti ſunt, et animum atque oculos ad omnia attendunt, quae cum periculo coniuncta eſſe videantur.

Haec igitur munera *excubitorum* nihil habent, quod per ſe *ſordeat*, aut propter indignitatem contemnatur. Res erit luculentior, ſi expoſuerimus, quae munera proprie *ſordida* dicantur. *Imperatores* Cubicularios

 ſuos

e) HORAT. Carm. Lib. IV. Od. V. v. 1. f) HOR. Epiſt. Lib. II. Sat. I. v. 255. g) IVVEN. Satyr. XIII. v. 157. h) HOR. Epiſt. Lib. I. Sat. I. v. 22. i) KEMMERICH. Introduct. in Ius publ. Lib. IV. Cap. 4. §. 36. k) HORNII Iuriſprud. Feud. Cap. 4. § 31. l) HOR. Epiſt. L. 1. Sat. I. v. 22. pupillis quos dura premit *cuſtodia* matrum. m) CICER. Orat. Philipp. VII. Cap. 7.

ſuos et Notarios a *ſordidis* muneribus excuſari volunt. *L. 12. pr. C. de excuſ. mun.* Sed veteres quidem ipſi videntur incerti fuiſſe, quae munera proprie *ſordida* nominentur. Hoc intelligitur ex *L. 17. §. 7. D. ad municip.* vbi de *exactione tributorum* diſputatur, num poſſit illa ad munera *ſordida* referri. CONSTANTINVS munera *ſordida* cum *extraordinariis, vilioribus* et *abiectis officiis* et cum *faece officiorum*, porro cum *deformibus miniſteriis* coniungit. *L. 4. et 6. C. de dignit.* Sed non ſatis expeditum, quae munera ab illo *vilia* et *abiecta* appellentur. In plerisque legibus exempla duntaxat *ſordidorum* munerum commemorantur, vt *piſtrini* et *excoquendae calcis obſequia*, *carbonis* et *materiae praebitio*, et *plura alia*, quae paſſim obſeruantur *n*). Sed, ſi diuinare licet in re obſcura, videntur pleraque haec munera non *per ſe*, ſed per *accidens*, et *ex cauſſa fortuita*, quia ab hominibus humilioribus adminiſtrantur, inter *ſordida* referri. Inprimis video *ſordidum* appellari, quod ſolo *corporis miniſterio* et *obſequio*, ſine magna intentione animi, *ſolertia* tantum *communi*, ſuſtineri poteſt ab *omnibus*, qui nullo alio labore aut artificio reipublicae prodeſſe poſſunt. PAPINIANVS enim munera *ſordida* et *corporalia* coniungit. *L. 8. §. 4. D. de vacat. L. 18. §. 11. et 26. D. de mun. et honor.* Haec igitur ſaepiſſime humilioribus perſonis delegata ſunt, cum ſatis fuerit, honeſtiores et artifices, ad res arduas, aut virtutem animi deſiderantes, quae pauciſſimis committi poſſunt, adhiberi. Quoniam vero labores, qui ab *omnibus*, ſine diſcrimine, ſuſcipiuntur, plerumque *ſordent* honeſtioribus; haec munera, maxime ſi cum moleſtia quadam coniuncta ſunt, quamuis neceſſaria ſint et vtilia, per *accidens* et ex *cauſſa fortuita*, *ſordida* et *indigna* iudicantur. Solent enim multi, qui a vulgo diſcerni volunt, ea prorſus auerſari, quae cum *omnibus* et cum *multitudine* communicantur. Sed in magnis neceſſitatibus interdum rareſcit illa multitudo, ſi, propter magnitudinem periculorum, multi dilabuntur, et pauci ſuperſunt, quibus munera *corporalia* aut *corporis miniſteria* imponi poſſint *o*). Itaque, ſi neceſſitas aliqua improuiſa ingruat, etiam quisque *honeſtiſſimus*, ſine indignitate et dedecore, illis muneribus fungetur. Iam videamus de *militaribus excubiis*, num eis conueniat cauſſa iſta, ex qua plerumque illa *munera ſordida* dicuntur. Sed apparet ex his, quae adhuc diſputata ſunt, ne *principes* quidem, neque *ſacerdotes*, nec *magiſtratus*, hoc genus militiae detrectauiſſe. Noſtri quidem milites, etiam gregarii, qui iuſſu Principis, aut Praefecti, in *vigilia* conſtituuntur, ab omnibus obſeruandi ſunt, a nemine contemni, aut iniuria prouocari debent: Beſonders ſind auch ꝛc. die Schild-Wachten ꝛc. gebührend in Ehren zu halten und zu reſpectiren, ihren Ge- und Verbothen ohnwei-

n) HEINECC. ad BRISSON. de Verb. ſign. Lib. XI. voce: *munus*, pag. 873.
o) Accidit hoc tempore Auguſti. SVETON. in Aug. Cap. 43.

weigerliche Folge zu leiſten, ihnen ꝛc. beſcheidentlich zu antworten, in ihrer Gegenwart nichts ungebührliches vorzunehmen ꝛc. weder mit Worten noch Thätlichkeiten, neque directe neque indirecte zu inſultiren *p*). Idem video etiam in exercitu Imperatoris obtinere: Wer Hand an die Wacht leget, oder auf die *Patrouille* das Gewehr zucket, ſoll am Leben geſtraft werden *q*). *Excubitores* igitur cum honoris ſignificatione compellandi ſunt, tantum abeſt, vt *munere ſordido* fungantur. Neque enim *corporis* duntaxat miniſterium, quod cuilibet ex faece plebis imponi poſſet, ab *excubitoribus* poſcimus; ſed haec res *ſolertiam* quandam animi et diligentiam atque cautionem deſiderat, vt oculos ad omnia dirigant, nihilque inſoliti praetermittant, et vt ſagaces ſint, ſi quid inſidiarum ſubeſſe videatur. Hinc *tyronibus cuſtodia* non credenda eſt, ſed ſi quid horum culpa acciderit, culpa in eum, qui *tyrones excubiis* praepoſuit, confertur, ita HERENNIVS MODESTINVS reſpondit *L. 14. pr. D. de cuſtod. exhibit reor.* Immo vero VEGETIVS praecipit, in periculo inſigni, *fideliſſimos* et *argutiſſimos*, interdum etiam *fortiſſimos* et *probatiſſimos* deligendos, qui in *ſpecula* et *vigilia* collocentur, ne ſtupidi et negligentes, ſua culpa, rempublicam in periculum adducant *r*). Haec igitur efficiunt, vt milites *excubitores*, munus perſonale honeſtiſſimum, quod ſolertiam animi deſiderat, gerere, et honore quodam non indigni eſſe cenſeantur. *L. 3. ſſ. 3. D. de mun. et honor. L. 18. ſſ. 1. D. eod.* Solos fere illos excipias, qui proprie *ſtationarii* a Romanis dicti ſunt. De his enim Cap. II. circa finem, quaedam obſeruauimus. *Stationarios* certe, et nonnulla genera *ſpeculatorum*, quia *apparitorum lictorum*que partes magis ſuſcipiebant, quam veras *excubias* agebant, CONSTANTINVS ad *faecem officiorum* retulit et dignitatibus excluſit. *L. 6. C. de dignit.*

Accepiſti, quo in honore ſint *milites*, qui in *vigilia cuſtodia*que collocantur. Sed videamus de *excubitoribus togatis*, maxime *vrbanis* et *ruſticis:* Von denen Bürger- und Dorf-Wachten, quos videmus interdum, maxime in neceſſitatibus improuiſis, et propter publicam ſecuritatem ad agendas *excubias* compelli. *Conſtit. Elect. Sax. XLI. Part. II.* In gemeinen Kriegs-Läuften, oder da Mord-Brenner Schaden thäten, oder wenn die Lehns-Herrn abgeſagte Feinde hätten, auf ſolche Fälle ſollen die Unterthanen der Gerichts-Herrn Ritter-Sitze zu bewachen ſchuldig ſeyn. Jedoch ſoll in dergleichen Fällen, wo es nicht anders hergebracht, ihnen Käſe und Brod gegeben werden. Videtur ex *victu excubitoribus ruſticis* deſtinato apparere, quod

p) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Ordonnanz, de anno 1752. Cap. 9. § 98. p. 78. *q*) Kayſer LEOPOLD. Art. Brief n. 36. 37. et 38. apud LVENIG in Corp. Iur. Mil p. 103. Art. Brief vor die Reichs-Völker, n. 54. de anno 16[illegible]2. p. 120. it. n. 56. p. 152. n. 50. p. 431. n. 39. p. 587. *r*) VEGET. de Re Mil. Lib. III Cap. 6.

quod hoc munus ruſticae *excubationis* imponi ſoleat humilioribus duntaxat perſonis, qui ſolo pane et caſeo alantur *s*). Ab hoc igitur FRITSCHIVS vult Clericos et omnes, qui ingenii virtute pollent, ideoque ad digniora officia adhiberi poſſunt, excuſari. Et de *clericis* quidem dubitari non poteſt, quin ab onere *excubiarum* ordinariarum immunes ſint, aut ſi munus hoc patrimoniale fuerit, et fundis hereditario iure acquiſitis inhaereat, ipſis liceat per *ſubſtitutos* hoc munere defungi. Die Kirchen-Diener in Städten und Dörfern ſollen mit Wachen ꝛc. für ihre Perſon befreyet bleiben, und ihrer Erb-Güther ſchuldige Frohn- und dingliche Pflicht durch andere ums Lohn beſtellen mögen *t*). Neque tamen liberantur, quaſi per ſe ſordidum ſit excubiarum munus, ſed quia publice intereſt, ne ſacerdotes, a ſacris, et rei diuinae procuratione, reuocentur, et quia plerumque non deſunt alii, qui ſine incommodo excubias faciunt. Idem honos etiam illis habendus eſt, qui *poſtarum* curam gerunt, et curſores publicos moderantur; Denen Poſt-Bedienten. Hi enim propter alias rationes, et inprimis, quia poſtarum cauſſa ipſi quodammodo, Principis iuſſu, noctu et interdiu *excubant*, et quia operam dare debent, ne curſoribus aliquid impedimenti obiiciatur, ab oneribus *perſonalibus*, ſpecialiter etiam ab *excubiis togatis*, immunitatis iure excuſantur: Die Poſtmeiſter und Poſthalter ſollen mit perſönlichen Zug und Wachten gänzlich verſchonet bleiben *u*). Sed in magnis periculis, et ſi multitudo aliorum deficiat, nullum munus, publicae ſalutis *cauſſa*, cuiquam impoſitum, pro *ſordido* haberi poteſt.

§. VII.

Milites grauius puniuntur quam pagani. Ad militis delictum accedit periurium.

Vides, *honeſtiſſimum excubitorum munus* eſſe, ideoque illos in vigiliis, inſigni legum ſeueritate, ab iniuria et contemtu vindicari. Sed quanto plus *honoris militibus*, excubias agentibus, defertur, tanto *grauius* Legislatores in illos, ſi fidem fefellerint, et ab officio diſceſſerint, animaduertendum eſſe cenſuerunt *x*). Operae pretium facturi eſſe videmur, ſi huius *ſeueritatis* cauſſas diligentius inueſtigemus. Nimirum, generaliter a MENANDRO et MACRO obſeruatum eſt, propter quaedam delicta, quae *pagano* aut nullam, aut *leuiorem* poenam afferunt, *militi* poenam *grauiorem*, et interdum etiam ſuppli-

s) Vid. Reſ. Grau. de anno 1661. tit. von Cammer-Sachen §. 7. Generale de anno 1717. in Cod. Aug. Tom. I. p. 1879. Mand. de anno 1719. p. 1891. Mand. de anno 1721. p. 1939. et Mand. nouiſſ. wegen Auffuch- und Beſtrafung des Diebs- und Räuber-Geſindels de dato Dreßden den 14. Decembr. 1753. §. 1. in fin.

t) Churfürſtl. Sächſ. Kirchen-Ordnung tit. von Immunitatibus und Freyheiten der Kirchen- und Schul-Diener in Corp. Iur. Eccl. Saxon. p. 199.

u) Königl. Pohln. und Churfürſtlich Sächſ. Poſt-Ordn. Art. III. et Decretum Regium de dato Dreßden den 1 Sept. 1711. in Cod. Aug. Tom. II. p. 1041.

x) Vid. IO. FERD. BEHAIMB Milit. delinqu. Obſeru. XXXVII.

ſupplicium, irrogari. *L. 14. D. de poen.* Nam ſi *miles* artem ludicram fecerit, vel in ſeruitutem ſe venire paſſus ſit, *capite* punitur *y*). Idem MENANDER ſcribit, ſi quis manus intulerit Praepoſito, militem capite puniri, et poenam augeri propter Praepoſiti dignitatem. *L. 6. §. 1. D. de re milit.* *z*). MODESTINVS obſeruat, etiam crimen maieſtatis, violatis ſtatuis, aut imaginibus, in *milite grauius*, quam in aliis *ciuibus*, puniri, poenamque *exacerbari*, quia *miles* hoc committere auſus ſit. *L. 7. ſ. 4. D. ad L. Iul. mai.* *a*). PAVLLVS etiam *militi*, qui in balneo furtum fecerit, *grauiorem* poenam, quam aliis furibus balneariis minatur. *L. 3 D. de fur. baln.* *b*). Immo vero Principes, de quibusdam delictis militum ad ſe referri, voluerunt, vt ipſi, odioſo priuilegio, *milites grauius* coercere poſſint *L. 13. ſ. 2. C. de re mil.* Hoc iure vſus eſt AVRELIANVS Imperator, qui *militem*, ob adulterium cum hoſpitis vxore commiſſum, duabus arboribus inflexis, alligauit pedibus, vt ſciſſus ille, ex vtraque arbore penderet *c*). Romani enim, MARTEM, Imperii patrem, ſi contra diſciplinam militarem aliquid admiſſum eſſet, ſupplicio militis *atrociori*, quaſi piaculo quodam placandum eſſe, iudicabant *d*). Et habent profecto Principes, cur *maiore ſeueritate* in *milites* vtantur. Rationem reddit CLAVDIVS SATVRNINVS, qui, poenam delicti ob *perſonam* eius, quae fecit, *exacerbandam* eſſe, iudicauit. *L. 16. ſ. 3. D. de poen.* Si enim poena remedii loco vtimur *e*), inprimis reſpicienda eſt *perſona* delinquentis, cui hanc medicinam adhibemus. Sunt autem multa in *perſona militum*, quae iudicem mouere poſſunt, vt acriori aduerſus illos remedio vtatur. *Primo* enim ipſum *genus vitae* efficit, vt facile *milites* ferocia quadam corrumpantur. In caſtris enim, vim hoſtibus inferre, impetu et incitatione animi rem adminiſtrare, didicerunt. Hinc conqueſtus eſt NVMA POMPILIVS, animos ciuium aſſidua conſuetudine bellorum *efferatos* eſſe, vt mitigari nequeant niſi deſuetudine armorum et metu Numinis iniecto *f*). Hac de cauſſa FABIVS QVINCTILIANVS, non compeſci poſſe, ait, illos efferatos, niſi reductis ſuppliciis et diſciplinae militaris *ſeueritate* contineantur *g*). Ad hoc *ſecundo* accedit, quod *gregarii* inprimis milites ex multitudine legendi, et male educati, proniores ſint ad delinquendum. Hi autem, ſpe impunitatis, maxime propter victorias et ſucceſſus, immoderate peccandi licentiam aſſumunt *h*). *Tertio* ipſa

y) IO. SOLORZANI PEREIRA de parricid. crimin. Lib. I. Cap. II. in Theſ. OTTON. Tom. V. p. 997. *z*) IO KOSTAE Obſeru. mil. ad Art. III. §. 16. p. 52. BEHAIMB Mil. delinq. Obſ. LIII. *a*) Id. Obſeru. III. *b*) MARQV. FREHER. παρεργων ſeu Veriſimil. Lib. II. Cap. 12. in Theſ. OTTON. Tom. I. p. 920. *c*) FL. VOPISC. in vit. D. AVRELIANI, Cap. 7. *d*) VAL. MAXIM. Lib. II. Cap. 7. §. 6. *e*) SENEC. de Ira Lib. I. Cap 16. *f*) LIV. Lib I. Cap 19. *g*) QVINCT. Decl. III. Cap. XIV. *h*) CAES. de Bello Gall. Lib. VII. Cap. LII.

ipſa *multitudo* militum, qui in agmine vel contubernio verſantur, efficit, vt ab his, inter ſe coniunctis et vnitis, *plus* periculi timendum ſit, quam a paganis, qui ſinguli delinquunt. In iſta *multitudine* facilius inueniuntur improba et maligna ingenia, quae mutua inſtigatione, interdum etiam exemplo, commilitones deteriores faciunt, vt frenis et ſecuribus opus ſit, ad motus animorum reprimendos. Opportune enim CLAVDIVS SATVRNINVS obſeruauit, quorundam maleficiorum ſupplicia *exacerbanda* eſſe, ſi propter *multitudinem* graſſantium, exemplo opus eſſe videatur. *L. 16. ſ. 10. D. de poen.* Recte enim veteres dixerunt, non minus cum *moribus militum*, quam cum *hoſtibus* pugnandum [i]), et plures exercitus *moribus* militum, quam viribus proſtratos eſſe. Hoc cum intelligeret CAESAR, non minus in milite modeſtiam et continentiam, quam animi magnitudinem deſideravit [k]). *Quarto atrocius* eſt militis delictum, quia ciuium ſumtibus alitur: ideoque crudele eſt, ciues iniuriam pati a milite, quem tot beneficiis ſibi deuinxerunt. *Quinto* non omittendum eſt, quod omnes milites *iurisiurandi religione* obſtringantur. Itaque fidem *iurisiurandi* deſerunt, qui non ſummam ſolertiam et diligentiam muneribus militaribus obeundis adhibent, et dedecus militare in exercitu admittunt. *Iuraſſe* vero *milites* Romanos, VEGETIVS auctor eſt, qui hanc *formulam iurisiurandi* refert: ſe *ſtrenue* facturos, quae praeceperit Imperator, nunquam *deſerturos* militiam, nec mortem *recuſaturos* pro Romana Republica [l]). Sed apertius FRONTINVS docet, olim quidem milites non *iuraſſe*, ſed *ſacramento* tantum rogatos eſſe: poſtea vero, L. FLACCO, et C. VARRONE COSS. receptum eſſe, vt *ſolemni iureiurando* fidem ſuam obligarent [m]), cuius formulam AVLVS GELLIVS, ex CINCIO, veteri ſcriptore rei militaris, deſcriptam, memoriae reliquit [n]). GERMANI, inprimis *Saxones*, ad duplex *iusiurandum* milites adigunt, quorum *alterum* praeſtatur, dum in numerum referuntur: *alterum*, dum certo agmini aut legioni adſcribuntur: wenn ſie zum Fähnlein ſchwören. Vtraque formula continetur, vt officium alacriter faciant et legibus militaribus cum cura obſequantur. Alles, was mir anjetzo in denen abgeleſenen Articuln fürgehalten worden, will ich ſtet, feſt und unverbrüchlich halten, oder der darauf geſetzten Strafe ſchuldig ſeyn [o]). Omne igitur delictum militare, legibus interdictum, caput militis periurio obligat. Sed *grauius* punitur miles, qui metu Numinis non perterritus, diuina et humana omnia, et *iurisiurandi religionem*, endlich ferociter conte-

[i]) QVINCT. Declam III. Cap. 14. [k]) CAES. de Bell. Gall. Lib. VII. Cap. 52. [l]) VEGET. de Re Milit. Lib. II. Cap. V. in fin. [m]) FRONT. Strategemat. Lib. IV. Cap. 1. LIPS. de milit. Rom. Lib. V Dial. XV. BRISSON. de Form. ſolenn. Lib. IV. Cap. 1. et 2. [n]) A. GELL. Noct. Attic. L. XVI. Cap. 4. [o]) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Articuls-Brief de anno 1697. in Cod. Aug. Tom. I. p. 2033.

temnit, atque ad delictum militare, etiam crimen periurii adiungit. *L. 5. §. 2. D. de re milit. p*). Hoc permouit aliquando Iudicium militare, vt anno 1730. in militem, qui in excubiis *furtum* fecerat, cum poena laquei etiam amputationem digitorum, poenam *periurii* commiſſi, ſolemni ſententia conſtitueret. Daß Inquiſit mit der auf den Meyn-Eyd geſetzten Strafe, durch Abhauung der drey Förder-Finger zuförderſt beſtrafet, ſodann durch den Scharf-Richter mit dem Strange vom Leben zum Tode gebracht werden ſolle. Sed poſtea, quia poena maior minorem, niſi cauſſae exaſperationis appareant, abſorbet; placuit, reo remittendam eſſe amputationem digitorum. Dieweil die Abhauung der drey Förder-Finger der rechten Hand nur in dem Falle ſtatt findet, wenn einer wiſſentlich und vorſätzlich vor Gerichte, Gewinnſts halber, einen falſchen Eyd ſchwöret, und deſſen hernach überführet wird. Hiernächſt die Rechts-Regul, quod maius delictum abſorbeat minus, et nemo duplici poena afficiendus ſit, Inquiſiten zu ſtatten kommet, ſo iſt Inquiſit, mit Abhauung der drey fördern Finger der rechten Hand, befundenen Umſtänden nach, zu verſchonen.

§. VIII.

Qui in excubiis delinquunt, capite puniendi, niſi Principis beneficio reſtituantur.

Ex his, quae adhuc diſputata ſunt, intelligetur, merito *ſeueritate grauiore* in milites animaduertendum eſſe, ne *multitudo* illa, quae rempublicam defendere debebat, pernicioſiſſimo exemplo, luxuriet et pacem publicam perturbet. Sed admonendum eſt, *milites*, qui in *excubiis* delinquunt, *duriore* poena dignos eſſe, quam commilitones, qui libere vagantur. Notamus autem *excubitores*, qui in certo loco, *vigiliae* et *cuſtodiae* cauſſa, conſtituti ſunt, ideoque locum deſerere non poſſunt: donec ipſis ſuccedatur. Noſtri die Schild-Wacht appellare ſolent. In horum enim diligentia, cum tota ſpes exercitus et ſalus communis omnium, quae ipſis credita eſt, verſetur, hi propter inſignem perfidiam, vltimo ſupplicio afficiendi ſunt, vt reliqui, metu poenarum, in officio contineantur. Certe *Saxoniae ſapientiſſimis legislatoribus* placuit, *excubitoribus* delinquentibus nunquam parcendum eſſe. Die delinquirende Schild-Wacht ſoll Leib und Leben verlohren haben *q*). Qua lege, cum nullo diſcrimine admiſſo, ſupplicium capitis in *excubitores*, delicto ſe contaminantes, generaliter conſtituatur, dubitari non poteſt, quin omnia delicta *communia* et *propria* militum, *eadem ſeueritate* coerceantur. Hinc, ad *culpam* in *excubiis* commiſſam, *ſupplicium* capitis trahendum eſſe, ex eo intelligitur, quod etiam *ſomno* correpti in *ſpecula*, et qui

p) BEHAIMB Mil. delinqu. Obſ LXX.

q) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Articuls-Brief de anno 1700. n. 6. in Cod. Aug. T. I. p. 2094.

qui in vigiliis dormiunt, capite plectuntur *r*). Apparet autem, ſomnum obrepere etiam inuitis, ideoque *dormientes* non conſilio peccare, ſed culpae tantum reos eſſe, quod *ſomnum* non excuſſerint, quem depellere et amouere debuiſſent *s*). Neque tamen hoc eſt nouum. Nam HADRIANVS etiam, *cuſtodes*, propter *nimiam culpam* ſupplicio afficiendos eſſe, iudicauit. *L. 12. pr. D. de cuſt. et exhib. reor.* Publice autem interfuit, *milites excubitores terreri* lege generali, nullasque excuſationis cauſſas admitti, propter quas Iure communi poenae mitigantur. Ita enim hanc legem militares iudices interpretari ſolent, *terroris* cauſſa conſtitutum eſſe, vt milites in *excubiis* peccantes, remoto omni obtentu, et titulo excuſationis, et adempta facultate cauillandi, capite damnentur. Neque audent facile iudices mitiorem ſententiam dicere, quamuis videant ſubeſſe cauſſas, quae iudicis animum ad clementiam inclinare poſſent, ſed irrogant ſupplicium, niſi Principis indulgentia reo ſuccurratur *t*). Itaque ſi quid habeant iudices, quod ad ſalutem rei et *poenae mitigationem* pertineat, ad Principem referunt, aut Principis iuſſu, ad ſupremum exercitus Praefectum, Generalem Mareſchallum, eiusque iudicio rem permittunt *u*). Hac re efficitur, vt reus, ſolo beneficio Principis, quod ad conſequentiam trahi non debet, ſalua legis militaris ſeueritate, ſupplicio liberatus eſſe, cenſeatur. Ea ſeueritate vſi ſunt iudices militares, qui anno 1735. militem in cuſtodia conſtitutum, cum reus cuſtodiendus euaſiſſet, propter negligentiam, capitis poena afficiendum, cenſuerunt. Dieweil ein Soldat, vermöge obhabender Pflicht, mit behöriger Wachſamkeit die ihm anvertrauten Poſten zu verſehen verbunden, hiernächſt die hierunter bezeigte Fahrläßigkeit und der Schlaf auf der Schild-Wacht, nach eingeführter Kriegs-Obſervanz, als ein wider die Soldaten-Pflicht lauffendes Verbrechen angeſehen, und nach Inhalt des 6ten Kriegs-Articuls am Leben beſtrafet wird. Alſo erſcheinet hieraus allenthalben ſo viel, daß Inquiſit, nach Schärfe der Kriegs-Articul, andern zum Exempel, ihm aber zur wohlverdienten Strafe, zu arquebuſiren, und ſolchergeſtalt vom Leben zum Tode zu bringen.

Capitali igitur ſupplicio delicta in *excubiis* commiſſa expiantur. Neque dubitari poteſt, quin *attentatum delictum*, ſeu *conatus* delinquendi, ſeueritate legis generalis comprehendatur, vt hic etiam *conatus* poena *capitis* luendus ſit. Enim vero, cum quis *coepit* peſtem aliquam machinari, ſed in

r) Ibid. n. 21. et apud LÜNIG. p. 103. 120. 152. 1380. Gnügens Kriegs-Recht §. 554. et 555. p. 295 KOSTKA Obſ. Milit. p. 236. BEHAIMB Mil. delinqu. Obſ. LX. *s*) Defendit *ſomnos excubitor* et depellit. SENEC. Thyeſt. V 11. Id. Troad. VI. 9. *t*) LÜNIG. p. 912. 928. et 929. Gnügens Kriegs-Recht §. 451. p. 229. BVRGER. Obſ. Milit. Cent. V. Obſ. 26. BEHAIMB Mil. delinqu. Obſ. LXXII. *u*) Vid. KOSTKA Obſ. Mil. p. 222.

in ipſa *molitione* et apparatu criminis oppreſſus, incepto deſtitit, illa *machinatio* veri criminis rationem habet, et criminali poenae locum facit. So ſich jemand einer Miſſethat mit etlichen ſcheinlichen Werken, die zu Vollbringung derſelben Miſſethat dienſtlich ſeyn mögen, unterſtehet, und doch an Vollbringung derſelben Miſſethat, durch andere Mittel, wider ſeinen Willen, verhindert wird, ſolcher böſer Wille, daraus etliche Werke, als obſtehet, folgen, iſt peinlich zu ſtrafen. *Ord. Crim. Carol Art. CLXXVIII.* Obuenit mihi aliquando eiusmodi ſpecies, vbi de *furto*, in *excubiis attentato* quidem, ſed nondum *conſummato*, quaerebatur. Et recte reſpondit ſupremus Iudex militaris: militem, qui in *cuſtodia* ſibi commiſſa deliquerit, *capitis* damnandum eſſe, cum lex cuilibet delicto militis *excubitoris* poenam *capitis* irroget, ideoque iudici non permiſſum ſit, vt a *ſeueritate* legis generalis diſcedat, niſi reus Principis indulgentia ſubleuetur. Adſcribam verba memorabilis reſponſi: *Quaeſitum eſt.* Ob die delinquirende Schild-Wacht, welche nach dem 6ten Kriegs-Articul Leib und Leben verlohren haben ſoll, auch dieſe Strafe zu gewarten hat, wenn das Delictum nicht völlig vollendet worden, und ob vielmehr hierinnen nach denen gemeinen Rechten zu gehen, welche die *attentata* arbitrarie beſtrafen, ſolchergeſtalt, daß einer, der auf der Schild-Wacht geſtanden, und einen Victualien-Schrank, mittelſt ſeines Bajonets, aufbrechen wollen, ſolches aber nicht vollbringen können ꝛc. mit Gaſſenlaufen oder ſonſt willkührlich zu beſtrafen ſey. Placuit: daß auf die Capitalſtrafe zu erkennen, die *exceptiones* aber zum *iure aggratiandi* gehören.

Itaque, ſi *miles* in excubiis et cuſtodia ſibi commiſſa deliquerit, nullae excuſationes admittuntur, ne reus cauilletur, aut ſpe impunitatis corrumpatur. Vix igitur refert inquirere, quale delictum miles in *excubiis* commiſerit, cum omnia facinora, in *excubiis* patrata, morte puniantur. Sed genus tamen ſupplicii decernendum eſt pro modo et genere delicti. Non vacat de omnibus delictis militum diſputare. Sed, vt promiſimus, *crimina* in *excubiis* commiſſa, attingemus. *Crimen* autem dicimus, quod per ſe animaduerſione criminali, vltimo ſupplicio, vel corporis afflictione, vel relegatione, aut alia poena, quae relegationi ſimilis eſt, coerceri debet, etiamſi miles illud non in *excubiis*, ſed alio quocunque loco commiſiſſet. De his omnibus nemo dubitat, quin morte expianda ſint, niſi reus beneficio Principis reſtituatur.

§. IX.

Delicta excubitorum propria periurii crimen coni-

Quia igitur *modus* ſupplicii ex *genere* delicti, quo excubitores ſe polluunt, ſumitur, exponendum eſt, *quotuplicia* ſint illa *crimina*, quibus milites in *vigiliis* contaminantur. ARRIVS MENANDER *duo* habet *genera* delictorum, quae in milite accuſari poſſunt. *Alterum* militum, inquit,

nent. Deſcriptio excubiarum plerumque cum alio crimine coniuncta eſt. Eius poena hodie eſt capitalis.

proprium, ſeu *militare* delictum, cum quid aliter, quam *diſciplina* communis *militum* exigit, committitur, quod *poena militari* expiatur. *Alterum* cum ceteris *commune*, cuius perſecutio *communis eſt*, *L. 2. et L. 6. D. de Re Mil.* ſiue, vt GORDIANVS addit, quod non ſolum in *militem*, ſed etiam in *paganorum* perſonam cadere poteſt. *L. 7. C. de Re Mil.* x). Sed adiungendum eſt *tertium* genus, quod poſſis delictum militis *mixtum* appellare, ſi delictum *commune* a milite ita admiſſum eſt, vt ſimul leges diſciplinae militaris violentur. Huc pertinet furtum aut adulterium, excubiarum tempore, a cuſtodibus commiſſum, quod *grauius* punitur. *L. 5. ſ. 2. D. de Re Mil.* *Primo* quidem nonnulla delicta *militaria*, ſeu *propria* militum, ab excubitoribus, tempore cuſtodiae ſuae, commiſſa, attingemus. Turpiſſimum crimen eſt *deſertio excubiarum* et *excubationis*, qua lex militum principalis euertitur et omnis diſciplina militaris corrumpitur. Huius criminis maior eſt indignitas, qua *fides iurisiurandi* fallitur et diſſoluitur a *deſertore*. Omnes enim *iurant*, teſte VEGETIO, ſe nunquam *deſerturos* militiam, ſed omnia ſtrenue facturos y). Saxonum iure militari, formulae iurisiurandi ſpeciali inſertum eſt, militem non ſolum legibus militaribus morem *geſturum*, ſed inprimis ab exercitu Principis, aut a legione, cui adſcriptus eſt, non *diſceſſurum* eſſe. Daß er bey Sr. Königl. Maj. Kriegs-Dienſten, es ſey in was vor Occaſion und an welchem Orte es wolle, bey dieſem Fähnlein treu, feſt und ſtandhafftig halten und dienen, auch davon durchaus nicht abtreten wolle z). Itaque *deſertor* non ſolum contra *articulum VIII.* qui *deſertionem*, conſtituto capitali ſupplicio, prohibet, iureiurando a ſe confirmatum, grauiter delinquit, ſed etiam fidem iurisiurandi ſpecialis, in cuius formula deſertionis fit mentio, pernicioſiſſimo exemplo, infringit et eludit. Videamus igitur, quando miles excubias aut excubationem *deſeruiſſe* cenſeatur. MODESTINVS quidem, miles, inquit, qui *ſtationis* munus *relinquit*, plus eſt, quam emanſor, ſed, qui ab *excubatione* Praeſidis vel cuiusuis Praepoſiti *deſiſtit*, peccatum *deſertionis* ſubire cogitur. *L. 3. ſ. 5. de re mil.* Videtur Iureconſultus diſcrimen conſtituere inter eum, qui *ſtationem*, et qui *excubationem* deſerit. *Stationem* enim dicimus *multitudinem* et *cohortem* excubantium, qui in certo loco conſtituti ſunt, vt ſinguli per vices aliis in vigiliis ſuccedant. Sed, qui ab *excubatione* Praeſidis vel Praefecti *diſcedit*, magis videtur *ſpecialem cuſtodiam*, fidei ſuae commiſſam, *deſerere*, quod PAGANINVS GAVDENTIVS

x) ADR. BEIER. Iurisprud. milit. Lib. III. Tit. XVI. Theſ. II. §. 1. ſequ. Gnügens Kriegs Recht, § 423. ſeq. BEHAIMB Mil. delinq. Obſ. I. y) VEGET. de Re Mil. Lib. I. cap. 5. in fin. z) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Art. Brief de anno 1697. in fin. in Cod. Aug. Tom. I. p. 2084.

TIVS notauit *a*). Hunc igitur, qui *ſpecialem cuſtodiam*, maxime Praeſidis aut Praefecti, *deſerit*, *deſertori* comparandum eſſe, et peccatum *deſertionis* ſubire, Iureconſultus iudicauit. Contra vero illum, qui *ſtationis* munus *reliquit*, *acerbius*, ait, quam *emanſorem* puniendum eſſe, quae poena *leuior* videtur, poena *deſertoris*. Habuit MODESTINVS, cur in *deſertorem excubationis* ſpecialis *b*) grauius, quam in *deſertorem ſtationis* animaduerteret *c*). Cum enim in *ſtatione* plures ſint, qui inuicem ſuccedant, facilius vni ignoſcimus, cuius abſentis vices ab aliis ſeruantur. Sed in *excubatione* ſeu *vigilia* ſpeciali vnus aut pauci collocari ſolent, qui, ſi partes ſuas negligant, aut *deſerant*, illos, quos cuſtodire debuiſſent, in ſummum periculum adducunt, ideoque exemplo peſſimo delinquunt. Hoc ſupra Cap. II. a nobis obſeruatum eſt.

Intelligis, cur *deſertor ſtationis* a *deſertore excubationis* ſpecialis ſeiungatur. Sed redeo ad MODESTINVM, qui, miles, inquit, *ſtationis* munus *relinquens*, plus eſt quam *emanſor*. Difficilis eſt interpretatio, ad quod genus delinquentium referendus ſit *deſertor ſtationis*, qui plus peccat, quam *emanſor*. *Emanſorem* enim dicimus, qui diu vagatus, ad caſtra regreditur, *L. 3. ſ. 2. D. de re mil* fere ſimilis *erroni*, qui non quidem *fugit*, ſed frequenter, ſine cauſſa, *vagatur*, et temporibus, in res nugatorias, conſumtis, ſero domum *redit*. *L. 17. ſ. 14 D. de aedil. edict.* Quapropter dicemus, *deſertorem ſtationis* non eſſe *emanſorem*, cum *vterque* quidem *diu* vagetur et redeat, ſed hoc diſcrimine, quod *emanſor* a caſtris et toto exercitu *recedat*, contra, qui a *ſtatione* abeſt, cohortem paucorum, qui per vices excubias agere debent, perfide *relinquit*. Recte igitur MODESTINVS ait, eum, qui ſtationem *deſerit*, plus peccare, quam *emanſorem*, hoc eſt, *grauius* puniri, quia maior eſt perfidia illius, qui paucos, cum quibus munus militare, iuſſu ducis, obire debuerat, relinquit, et munus militare detrectat, iuſſumque Praepoſiti contemnit, quam *emanſoris*, qui a caſtris tantiſper, et a multitudine plurium, in qua vnus non magnopere deſideratur, diſceſſit, poſt aliquod tempus rediturus *d*). Ille ergo non eſt *emanſor*, ſed *plus*, quam emanſor. Quid igitur de *illo* faciemus? Forte eſt *deſertor?* immo nec *deſertor*, quia *deſertionis* delictum in eo conſiſtit, quod quis per prolixum tempus non redit, ſed *reducitur inuitus*. *L. 3. ſ. 3. D de Re Mil.* *e*). Qui vero ſtationem *deſerit*, habet redeundi animum, et poſt aliquod tempus reuertitur. Quid ergo? Videlicet delictum militis, ſtationem relinquentis, *proximum* eſt *deſertioni*, quia, peſſi-

a) PAGANIN. GAVDENT. Iurid. Expoſ. L. II. cap. 18. et 20. in Theſ. OTTON. Tom. III. p. 380. et 381. *b*) BEHAIMB Mil. delinqu. Obſ. LX. *c*) Idem Obſ. LIX. *d*) BEIER. Iurisprud. milit. Lib II. Tit. XV. Theſ. III. §. 2. *e*) ISIDORVS, ſub voce: *deſertor*.

peſſimo exemplo, munus militis et iuſſum ducis in periculo recuſat. Sed propter animum reuertendi, cum temperamento poenae, coercendus eſt, vt in *eum* grauius, quam in *emanſorem*, *mitius*, quam in *deſertorem*, animaduertatur. Hoc autem temperamentum non admittitur in eo puniendo, qui *excubias* ſpeciales, et cuſtodiam, fidei ſuae commiſſam, *deſerit*, qui hic *ſolus*, vel cum *paucis* aliis, in *ſpecula* conſtitutus eſt, quam ſi *deſerit*, non euitari poteſt periculum, quod propulſare debuiſſet. Hic igitur prorſus *deſertori* ſimilis habetur. Enim vero parum intereſt, vtrum quis plane *deſerat* exercitum, an excubias relinquat, quarum *deſertio*, vno momento, multis periculoſa eſſe poteſt *f*).

Accepiſti mentem MODESTINI, qui *deſertorem ſtationis*, quaſi *medium* conſtituit, inter *emanſorem* et *militiae deſertorem:* ideoque *mitius* quam *deſertorem*, *grauius* quam *emanſorem*, puniendum eſſe iudicat. Apparet igitur, rem definiendam eſſe ex poena *deſertoris*, quae mitiganda eſt in eo, qui ſtationem tantum *deſeruit*, ſed retinuit animum reuertendi. Ipſa vero poena *deſertionis* non ſatis definita eſt legibus romanis. Duces exercituum, in illo tumultu caſtrorum, plerumque, prout res viſa eſt, *deſertores* arbitrio ſuo puniuerunt. AVGVSTVS, Centuriones, ſtatione *deſerta*, itidem, vt manipulares, poenam *capitis* ſubire iuſſit *g*). POSTHVMIVS etiam et TITVS MANLIVS ipſi filios ſuos, iniuſſu ducum e praeſidiis egreſſos, quamuis hoſtes fudiſſent, ſecuri percuſſerunt *h*). OPILIVS MACRINVS, Tribunum, qui excubias *deſeri* paſſus erat, carpento adnexum, per totum iter viuum *traxiſſe*, dicitur, donec animam efflaret *i*). Certe, qui a foſſato *recedit*, *capite* puniendus eſt. *L. 3. ſſ. 4. D. de re mil.* PAVLLVS etiam, eum, qui excubias palatii *deſeruit*, *capite* puniendum eſſe, ait. *L. 10. pr. D. de re mil.* Quod ipſum tamen non ad omnes excubiarum *deſertores* pertinet, cum plus peccet, qui *palatium* et *Principem*, cuius ſalute multorum ſalus ſuſtinetur, *deſerit*, quam qui *aufugerit* a *cuſtodia priuata*. Cuſtodes carceris, qui reos amiſerunt, ob nimiam negligentiam, *ſupplicio*, ob culpam mediocrem, *arbitrio* iudicis puniti. *L. 12. pr. D. de cuſt. et exhib. reor.* Inprimis, ſi reus monetae adulterinae, clanculum confectae, accuſatus fuerit, cuſtos, qui illum elabi paſſus eſt, *capite* damnatur. *L. 1. C. de falſ. monet.* Vides, omnia incerta eſſe. Paullo luculentius CAROLVS V. *cuſtodes*, qui dolo reum dimittunt, *eadem poena*, qua reus afficiendus fuiſſet, coercendos, ceteros autem, arbitrio iudicis, puniendos eſſe, ait. *Ord. Crim. Carol. Art. CLXXX.* Nimirum ad crimen deſertae excubationis, interdum multa alia accedunt, quae animum iudi-

f) Gnügens Kriegs-Recht §. 550. LÜNIG. Corp. Iur. Mil. p. 103. 120. 152.
g) SVET. in Aug. cap. XXIV. *h*) VAL. MAX. cap. VII. §. 6. *i*) IVL. CAPITOL. in Opil. Macr. cap. XII.

iudicis ancipitem reddere et perturbare poſſunt. Qui enim vigilias nocturnas, ſibi ſolis commiſſas, neglexerunt, *duriori* ſupplicio digni ſunt, quam qui interdiu, et illo tempore, quo quilibet ſibi ſine cuſtodibus cauere poteſt, ab excubiis *diſceſſit*.

Apparet, multa accedere poſſe, quibus crimen illius, qui excubias *deſeruit*, augetur. Hinc non ſemper eandem ſententiam tenuerunt iudices militares, ſi *deſertio* excubiarum vindicanda eſſet. Sed, prout res poſtulare viſa eſt, modo *grauius*, modo *lenius*, in reum animaduerterunt. In tanta enim varietate credi poteſt, veteres ne quidem voluiſſe certam et definitam poenam *deſertionis*, aut *cuſtodiae derelictae*, conſtituere, ſed delicti magnitudinem ex rebus, quae *circumſtant*, aeſtimaſſe. Hoc tamen expeditum eſt, plerumque *excubitores*, qui vel *fugerint* a cuſtodia ſibi commiſſa, vel dolo illam *neglexerint*, vltimo ſupplicio affectos. *L. 38. §. 11. D. de poen.* Certe, in bello, ſi MODESTINO fides eſt, generaliter *omnes*, qui mandata non faciunt, *capite* plectuntur. *L. 3. §. 15. D. de re mil.* Multo magis hanc poenam meretur *deſertor* excubationis, qui, cum tot ciuium periculo, mandata Praepoſiti neglexit *k*). SVIDAS quidem refert, Romanos perpetua lege *mortis* poenam iis, qui a vigiliis receſſerint, conſtituiſſe *l*). CICERO etiam aliquando, legiones, ait, *fuſtuarium* meruiſſe, qui conſulem reliquiſſent *m*). Item LIVIVS profitetur, *fuſtuario* puniri, qui ſigna relinquat, aut praeſidio decedat *n*), et IVSTVS LIPSIVS ex POLYBIO comprobat, *fuſtuarii* poenam *capitalem* fuiſſe, et lapidationi ſimilem, qua Iudaei in reis puniendis vtebantur *o*). Sed ex his locis non probatur, *hac poena* Romanos conſtanter vſos eſſe. Variaſſe potius iudices militum et nullam legem certam habuiſſe, ex locis ſupra adductis intelligitur. Non libet de poenis illis militaribus, quibus Romani in militia pro arbitrio vſi ſunt, diligentius exponere, cum, hoc argumentum a trecentis aliis occupatum eſſe, intelligam.

Sublata igitur dubitatione, legibus Saxonicis ſapienter conſtitutum, vt, quicunque in excubiis *deliquerit*, nullo diſcrimine admiſſo, vltimo *ſupplicio* afficiatur, et *deſertores*, ſine ſpe veniae, *patibulo* ſuſpendantur. Wer ſich heimlich von ſeinem Fähnlein abſentiret, über Nacht davon bleibt, oder gar von der Compagnie entläufft, der ſoll, ohne alle Gnade, aufgehen-

ckes

k) Exempla exercituum et principum, qui deſidia vigilum perierunt, vid. apud TAC. Hiſt. Lib III. cap. 69. Qu et Hiſt Lib. V. cap 22. CVRT. Lib IV. cap. 10. §. 25. Id Lib. V. cap 12. §. 9. SVET. in Ner. cap. 47. *l*) SVIDAS ſub voce: Φύλακοι, Tom. II. p. 1088. *m*) CIC. Orat. Philipp. III. cap. 6. *n*) LIV. Lib. V. cap. 6. *o*) LIPS. de Mil. Rom. Lib. V. Dial. 18. p. 348.

ckt werden. *Art. VIII.* Die delinquirende Schild-Wacht aber ſoll Leib und Leben verlohren haben *p*).

Si quaeris de genere ſupplicii, reſpondendum eſt, militem ob delictum proprium militare, *ſupplicio* etiam *militari*, apud nos globulis puluere pyrio exploſis perimi, vel militari *patibulo* ſuſpendi.

Sed paullo difficilius eſt iudicium, ſi alia *delicta militaria accedunt*, quae efficiunt, vt ſupplicii genus *exacerbetur. L. 5. ʃ. 2. D. de Re Mil.* Saepiſſime enim ad *deſertionem* excubiarum accedit *proditionis* crimen. Illa enim eſt *proditio*, ſi quis doloſe et *mercede accepta* illos deſeruerit, vel dimiſerit, quos ſingulari fide cuſtodire debuiſſet. Facillime corrumpuntur *cuſtodes* illi,

conuerſo in pretium Deo q).

AENEAS ſcriptor rei militaris de omnibus vigilibus ſuſpicatur, illos facile ab hoſtibus *corrumpi*, ſi diu in eadem vigilia remanſerint *r*). Hac de cauſſa *deſertores* atque *proditores* plerumque coniunguntur *ſ*), cum plurimi, proditionis cauſſa, excubias deſerant. Sed *proditores* nonnunquam viui, iuſſu iudicis, *comburebantur. L. 9. C. de Re Mil. t*). Noſtris quidem moribus *exuſtio* viuorum, niſi in incendiariis, parum frequentatur, ſed *diſſectionem* corporis in *quatuor partes*, non facile effugient *cuſtodes*, qui exercitum, vel ipſius etiam Principis corpus, quod cuſtodire debuerant, *prodendi* animo, deſeruerunt. *L. 1. D. ad L. Iul. Mai. Ord. Crimin. Carol. Art. CXXIV u*). Conſtat, NERONEM CLAVDIVM peremtum, quia *cuſtodes* illum *deſeruerant*, et quia receſſerat ſtatio militum, cui corpus ſuum *cuſtodiendum* tradiderat *x*). Horum igitur deſertio *proditionis* crimen continet.

Proditoribus non diſſimiles ſunt illi, qui ab excubatione Praeſidis vel Praefecti *deſtiterunt*, quibus ſingulari vinculo, iure Saxonum, ſpecialis iurisiurandi fide obſtricti ſunt. *L. 3. ʃ. 6. et ʃ. 21. L. 6. ʃ. 8 et ʃ. 9. D. de Re Mil. y*). Ideoque *duplex* crimen militare committunt, qui non ſolum excubias *deſerunt*, quod per ſe mortis poenam meretur, ſed etiam Praefectum *deſtituunt*, quod ſingulari poena dignum cenſetur. Horum igitur poena *exacerbatur*, omni ſpe veniae ademta. *L. 5. ʃ. 2. D. de Re. Mil.*

§. X.

p) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Articuls-Brief n. 8. et 6. in Cod. Aug. Tom. I. p. 2094. *q*) HOR. Carm. Lib III Od. XVI. n. 8. *r*) AEN. in Poliorcet. cap 22 *ſ*) CIC. Orat. ad Quirit. poſt redit. cap. V. CAES. de Bello Gall. Lib. VI. cap. 23. *t*) RADVLPH. FORNERIVS Rer. Quot id. Lib. I. cap. 7. in Theſ. OTTON. Tom. II. p. 135. *u*) Idem Lib II. cap 16. p. 177. et PAGAN. GAVDENTIVS Iurid. Expoſ. Lib. II. cap. 18. apud OTTON. Tom. III. p. 380. *x*) SVET. in Ner. cap 47. *y*) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Kriegs-Art. in fin. BVRG. Obſ. Mil. Cent. II. Obſ. XXIII. et XXIV.

§. X.

Commune delictum in excubiis commiſſum eſt mixtum et morte punitur. Inprimis furtum et rapina.

Venio ad *communia* militum delicta. Haec ſi a militibus vacuis, nulloque militari munere occupatis, perpetrantur, iure communi non ſecus, ac ſi a paganis commiſſa eſſent, coercentur, niſi legibus militaribus, quod ſaepius fieri Cap. VII. obſeruatum, grauior militi poena ſit conſtituta. Alle andere Verbrechen, als Mord, Todſchlag, Entleibung ꝛc. und alle andere gemeine nicht Militair-Delicta ſollen nach der in Rechten diesfalls gemachten Verordnung geſtraft werden z). Quapropter militi eaedem *excuſationes* proſunt, propter quas pagani mitigationem poenae impetrare poſſunt. Sola vero *ebrietas* excipitur, cuius obtentu miles nunquam a ſupplicio et ordinaria poena liberatur. Ingleichen ſoll in keinem einzigen Verbrechen der übermäßige Trunk dem Uebelthäter zu ſtatten kommen a). Quamuis iure romano militibus, vino aut potionis occulta virtute deceptis, interdum ſuccurratur. *L. 6. ʃ. 7. D. de re milit.* Nonnunquam tamen iudices militares in communibus delictis, iisque capitalibus, propter generalia verba *Art. XV.* ebrietatis defenſionem non prorſus neglexiſſe obſeruaui. Praeterea delictum commune, poena non militari, ſed communi punitur, et fur, non patibulo militum, ſed communi, ſuſpenditur, donec decidat putredine corruptus. Ita in militem furem anno 1730. ſententia lata eſt, daß Inquiſit ꝛc. mit dem Strange am Diebs-Galgen vom Leben zum Tode zu richten, und deſſen Cörper bis zum Abfallen allda zu laſſen.

Sed maxima ſeueritate opus eſt, ſi a milite *delictum commune* in ipſo munere militari, praecipue in *excubiis*, quae ſanctiſſime agi debent, admittatur. Eleganter ARRIVS MENANDER docet, ſi miles deſertioni aliud crimen *adiunxerit*, grauius puniendum eſſe, et ſi *furtum* factum, veluti aliam deſertionem eſſe; aut ſi plagium factum vel adgreſſura, vel quid ſimile acceſſerit. *L. 5. ʃ. 2. D. de Re Mil.* Enimuero, ſi miles *furandi* cauſſa excubias *deſeruerit*, dubitari non poteſt, quin haec deſertio excubationis per ſe capitis poenam mereatur. *Art. VI.* Sed in eligendo genere ſupplicii ſpectandum eſt, vtrum grauior poena criminis iure communi conſtituta ſit, quam militari, quae militi propter deſertionem irrogatur. Tunc enim poena iuris communis afficiendus eſt, ne ipſi proſit priuilegium militis in communibus delictis.

Nimirum, ſi plura delicta concurrant, illam poenam eligere debemus, quae durior eſt, cum grauius delinquat, qui plura crimina eodem tempore com-

z) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Art. Brief n. 15. in Cod. Aug. Tom. I. p. 2094. *a*) Ibid. n. 24. Duell-Edict. pr. Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Gen. Verordn. wie wider die excedirende Soldaten in delictis communibus verfahren werden ſoll, de dato Dreßden den 28. Dec. 1737.

committit. *Ordin. Criminal. Carolina Art. CLXIII.* b). Nonnunquam in ipſo loco excubiarum aut cuſtodiae, quamuis e loco ſibi aſſignato non diſceſſerint milites, *furto* aut aliis *delictis communibus* polluuntur. Videtur vero miles etiam tunc *animo* deſerere excubias, cum in cuſtodia, in qua munus militare cum ſumma diligentia et contentione virium obire, animumque et oculos ab omnibus aliis rebus auertere debuerat, *furtum* commiſit, et neglecta militari diſciplina, rebus illicitis operam dedit cum damno aliorum. Itaque et hic deſertor eſt excubiarum, quamuis non diſceſſerit e loco ſibi aſſignato. Quapropter dicemus, militem, qui in cuſtodia furto aliquid ſubtraxit, morte puniendum eſſe. Nec refert, vtrum res, *furto* contrectata, *cuſtodiae* eius ſpecialiter commiſſa ſit, an *fortuito*, dum excubias agit, occaſione oblata, in res alienas inciderit. Neque diſcrimen admittitur, vtrum rem *exigui pretii* ſurripuerit, an *furtum* magnum commiſerit, cum omne delictum in excubiis commiſſum capite puniendum ſit, omnesque exceptiones reo adimantur. Nuper Scabinis Vitembergenſibus eiusmodi ſpecies offerebatur. Miles iuſſus erat cum aliis commilitonibus, fures quosdam, qui vehiculo in alium locum deducendi erant, cuſtodire, et res furtiuae, quae in vehiculo reconditae erant, eius fidei commiſſae. Miles, occaſionem nactus, aliquas res furtiuas ſurripuerat, lucrandi cauſſa, ſed exigui pretii, quod in paganis non ſufficeret, vt poena capitalis locum habere poſſet. Miles fatebatur, furtum a ſe factum eſſe, neque dubitari poterat, quin miles furti poenam meruerit, cum etiam ille, qui res furtiuas furi ſurripuit, furti teneatur. *L. 76. ff. 1. D. de furt.* Miles tamen excuſatione ebrietatis vtebatur, et, quia res exigui pretii fuerat, veniam ſperabat. Praeterea accuſabatur miles ab ipſis furibus, quod ſocietatem furtorum cum pluribus inierit, et multis ſceleribus ſe polluerit, quae poena grauiore expianda eſſe viderentur. Sed de his criminibus non ſatis conſtabat. Reſpondimus, quamuis reliqua crimina non ſatis idoneis argumentis probata ſint; tamen reum propter furtum in excubiis commiſſum, patibulo ſuſpendendum eſſe. Adiiciemus formulam reſponſi: Hat Inquiſit rc. in Güte geſtanden und bekannt, daß, als er am 5. Iul. des jüngſtabgewichenen 1754ſten Jahres mit nach Meiſſen commandiret geweſen, um einige Arreſtaten und Sachen dahin zu convoyren, und der Sergeant N. N. welcher dieſes Commando geführet, ihm, daß er ſich auf den Wagen, auf welchem die Arreſtaten geſeſſen, und worauf die Sachen befindlich geweſen, ſetzen, und auf die Sachen, damit die Arreſtaten nichts davon verparthieren möchten, Acht haben ſolle, anbefohlen, er ſich auch auf dieſen Wagen, neben der jüngſten Arreſtatin N. N. geſetzet, auf gedachter Zureden, daß in der Hucke, worauf ſie ſäßen, eine Schachtel mit Spitzen wären, welche er nach ſich nehmen ſolle, um ſich ge-

b) CARPZ. Iurisprud. Crim. Qu. CXXXII. n. 19. 62. et 67.

gegriffen, und von denen in der Schachtel befindlich geweſenen Spitzen ein Stück entwendet und an ſich genommen. Ob nun wohl Inquiſit ꝛc. daß er zu ſelbiger Zeit ſehr betrunken und ſeiner Sinne nicht mächtig geweſen, ſich entſchuldiget, es alſo das Anſehen gewinnen könnte, daß wegen dieſes Verbrechens nur eine willkührliche Strafe ſtatt finde, mithin wegen der ihm weiter beygemeſſenen Verbrechen ꝛc. auf ein geſchärftes medium eruendae veritatis zu erkennen ſey ꝛc. Dieweil aber dennoch Inquiſit, wegen dieſes auf der Wacht begangenen Diebſtahls, nach Maßgebung des 6ten Kriegs-Articuls, eine Todes-Strafe verdienet, darwider ihm die vorgeſchützte Trunkenheit nicht zu ſtatten kommt ꝛc. Angeſehen, nach ausdrücklicher Vorſchrift des 24ſten Kriegs-Articuls, der übermäßige Trunk in keinem einzigen Verbrechen dem Uebelthäter zu ſtatten kommen ſoll ꝛc. Im übrigen, da das von Inquiſiten eingeräumte Verbrechen bereits die Todes-Strafe nach ſich ziehet, und wegen derer übrigen, wenn er auch zum Geſtändniß gebracht würde, zu einer höhern Strafe nicht zu gelangen ꝛc. So möchte er, ſolches von ihm begangenen und geſtandenen Verbrechens halber mit dem Strange vom Leben zum Tode gebracht werden. V. R. W. Huius reſponſi iuſtiſſimas habemus cauſas. Ipſum enim furtum nouimus per ſe inter crimina capitalia referri: Den Dieb ſoll man henken. 2. Sdr. *XIII.* Praeterea, omne delictum, in excubiis commiſſum, morte expiatur, et exceptiones, ſeu excuſationis argumenta, a iudice militari non attendi debent, ſed ad ius aggratiandi referuntur, vt, beneficio Principis aut Ducis, venia impetrari poſſit. Hoc enim ſupra *Cap. VIII.* a nobis obſeruatum eſt. Militi igitur non prodeſſe potuit, quod rem *exigui pretii* eripuit, cum etiam furtum *paruum* naturam veri delicti habeat, quod in excubiis commiſſum, poena capitis luendum eſt. Hoc rigore iuris iudices militares anno 1735. vſi ſunt; his rationibus adiectis: Dieweil Inquiſit, welcher zur Aufſicht über die untergebene Mannſchaft commandirt geweſen, und alſo andere vom Böſen abhalten ſollen, ſelbſt dergeſtalt gröblich verbrochen, ſeinen anvertraueten Poſten unverantwortlicher Weiſe verlaſſen, und den Diebſtahl zu zweyenmahlen reiteriret: So möchte Inquiſit mit dem Strange an dem Diebs-Galgen vom Leben zum Tode gerichtet werden.

Ad haec ſingulare *furti* odium accedit, cum illud in militibus, qui ciuium fortunas tueri et defendere debebant, prorſus ferri non poſſe videatur. Hinc olim iureiurando, cuius formulam AVLVS GELLIVS reliquit, milites, ne furtum facerent, obſtringebantur: *in exercitu decemque millia paſſuum prope furtum non facies dolo malo* c).

Timemus etiam hodie, ne milites, inprimis vacui, qui non in expeditione ſunt, redeant ad conſuetudinem praedandi. In ipſo Inſtrumento *pacis religioſae* conqueſti ſunt Germaniae Principes de *improbitate militum,*

 late

c) A. GELL. in Noct. Att. Lib. XVI. Cap. 4.

late *vagantium*, qui innocentibus minabantur, *furtis*que et *latrociniis* operam dabant. Daß die umlaufende und gardende Knechte die gemeine Sicherheit ſtöhren *d*). CAROLVS V. furti ſuſpicione, ait, onerari milites, qui in popinis *luxurient* et *ſumptum* faciant contra leges diſciplinae militaris. So Reiſige und Fuß-Knechte, gewöhnlich bey denen Wirthen liegen und zehren, und nicht ſolche redliche Dienſte, Handthierung und Gülte anzeigen können, davon ſie ſolche Zehrung thun mögen, dieſelbe ſind argwöhnig und verdächtlich zu vielen böſen Sachen und allermeiſt zur Rauberey. *Ord. Crim. Carol. Art. XXXIX.*

Immo vero, non ſolum in hybernis, ſed etiam in *tranſitu*, periculoſa eſt illa praedae cupiditas, cum, quod LIVIVS teſtatur, milites tranſeuntes vix prohiberi poſſint, ne *furta* parua tentent in itineribus *e*). Laudantur SEXTI POMPEII *f*) et SYLLAE *g*) milites, qui ita tranſierunt, vt neque manus neque veſtigium militis, pacato cuidam nocuiſſe, diceretur. IVLIVS CAESAR diligenter proſpexit, vt milites ſine *maleficio* et iniuria tranſirent *h*). Inprimis hoſpitibus ſuis parcere iuſſi ſunt milites, ne quid *auferant*, aut omnino *exigant*, contra morem militarem. *L. 5. et 6. C. de metat. L. vnic. C. de Salgam. i*). TIBERIVS, *furtis* militum infenſus, militem praetorianum, ob *ſurreptum* e viridario pauonem, *capite* puniuit *k*). AVRELIANVS Tribuno militum reſcripſit: Si vis Tribunus eſſe, immo ſi *vis viuere*, manus militum contine. Nemo pullum alienum *rapiat*, ouem nemo *contingat*, vuam nullus *auferat*, ſegetem nemo *deterat*, ſal, lignum, oleum, nemo *exigat*, annona ſua contentus ſit *l*).

PESCENNIVS NIGER ob vnius galli gallinacei *direptionem*, decem commanipulones, qui, *raptum* ab vno, comederant, iuſſit *ſecuri* percuti, vt exemplo caueretur *m*). ALEXANDER SEVERVS hominem, qui ad militiam adſpirabat et in *furto* deprehenſus erat, in *crucem* tolli voluit, ne exercitus commilitonis dedecore conſpurcaretur *n*). FRONTINVS etiam ex CATONE de re militari refert, *dextra manu* multatos eſſe milites, qui *furtum* admiſiſſent *o*). Odium furti igitur effecit, vt raro *furibus* parcatur. Quapropter dicemus, *rapacitatem* militum, in primis ſi a caſtris *receſſerint*, aut excubationem deſeruerint, *furandi* cauſſa, adeoqne ad crimen

d) Rec Imp. Auguſt. de anno 1555. § 34 et 35. *e*) LIV. Lib XXI. Cap 35. *f*) CIC. Orat. pro L. Manil. Cap 13. *g*) VELL. PATERC. Lib. II. Cap. 25. Vid AHASV. FRITSCH. de tranſit. milit. Cap. 6. *h*) CAES. de Bell. Gall. Lib. I. Cap 9. *i*) Königl. Pohln. un Churfürſtl. Sächſ. Ordonnanz §. 86. p. 70. vid. L. ANN. SENEC. de benefic. Lib IV. Cap. 37. et RADVLPH. FORNER. Rer. Quotidian. Lib. I. Cap. 29. apud OTTON Tom. II. p 157. *k*) SVET. in Tiber. Cap. 60. *l*) FL. VOPISC. in Diu. Aurelian. Cap. 7. *m*) AEL. SPARTIAN. in Peſc. Nigr. Cap 10. *n*) AEL. LAMPRID. in Alex Seu. Cap. 28. *o*) FRONT. Strategem. Lib. 4. Cap. 1.

men militare etiam crimen commune adiunxerint, metu *ſuppliciorum* grauiſſimo coercendam eſſe. *L. 3. C. de deſert.*

§. XI.

Stuprum, adulterium et homicidium a milite in excubiis commiſſum capite luendum eſt.

Seueritas diſciplinae militaris maxime in eo eminuit, quod veteres militem romanum a *libidinibus* et *luxu* retraxerunt. Recte enim TACITVS admonuit, corpora militum *otio* infirmari, animos *libidinibus* corrumpi *p*), ideoque non minus cum moribus militum, quam cum hoſtibus pugnandum eſſe *q*):

Non his iuuentus orta parentibus
infecit aequor ſanguine punico;
Pyrrhumque, et ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum:
ſed ruſticorum maſcula *militum*
proles r).

Inprimis vero in caſtris turpiſſimum videbatur, ſi quis *vigilias* inter *ſcorta* ageret, cum alii armati excubarent *s*). FABIVS QVINCTILIANVS auctor eſt, *feminis* non licuiſſe caſtra intrare, et *meretrices* ab exercitu ſummotas *t*). SCIPIO, qui Carthaginem deleuit, cum caſtra intraret, confeſtim edixit, vt omnia ex his, quae *voluptatis* cauſſa comparata eſſent, auferrentur ac ſummouerentur, eaque re effecit, vt duo millia *ſcortorum* e caſtris continuo exirent *u*). AVGVSTVS, cum diſciplinam ad veterem morem reuocaret, nemini permiſit, *vxorem* interuiſere, niſi grauate et hybernis demum menſibus *x*). Ex CONSTANTINI *lege 10. C. de re mil.* intelligitur, a Principe impetrandum fuiſſe, vt miles *vxorem* in exercitum adducere poſſet *y*). AVRELIANVS etiam, in hoſpitio milites *caſte* viuere et *libidinibus* abſtinere, voluit *z*), et OPILIVS MACRINVS milites, qui hoſpitis ancillae *ſtuprum* intulerant, duobus bubus mirae magnitudinis, quos viuos ſubito aperuerat, inſeri iuſſit, capitibus exertis, vt horrendo ſpectaculo militum animos a *libidine* et *ſtupris* deterreret *a*).

Sed hanc ſeueritatem cum milites eludere ſluderent, *clanculum*, in locis remotioribus, materiam *libidinum* comparabant, et *impudicas* mulieres, interdum vel ad *locum excubationis* et vigiliae, adducebant, vel ipſi excu-

p) TAC. Hiſt. Lib. II. Cap. 93. *q*) *Idem* ibid. *r*) HOR. Carm Lib. III. Od. VI n. 33 *s*) QVINCT. Decl. III. Cap XIV. *t*) Id. Decl. III. Cap. 12. *u*) VAL. MAX Lib. II Cap. 7. §. 1. et 2. *x*) Hybernis menſibus *vxorem* interuiſere permiſſum SVET. in Aug. Cap. XXIV. *y*) RADVLPH. FORNER. Rer. Quotid Lib. IV. Cap. 30 apud OTTON. Tom. IV. p. 254. *z*) FL. VOPISC in Diu. Aurelian. Cap. 7. *a*) IVL. CAPITOL. in Opil. Macr. Cap. 12.

excubias, *libidinis* et *mulierculrum* cauſſa, deſerebant. TITVS PETRONIVS habet militem excubitorem, qui latrones, crucibus affixos, ſeruare iuſſus, noctu, deſertis excubiis, confugit in caſulam, in qua Matrona quaedam Epheſina maritum mortuum lugebat. Illi cum *ſtuprum* perſuaſiſſet, poſtea reuerſus, vidit vnius latronis cadauer detractum eſſe atque vnam crucem vacare. Veritus *ſupplicium*, mulierem precibus et lamentationibus compulit, vt ipſi corpus mortui mariti daret, quod in locum detracti latronis cruci affigeret *b*). Sed miles ille, vt diximus, *ſupplicium* timebat. Quaeris autem quale? PETRONIVS reſpondet, militem noluiſſe iudicis ſententiam expectare, ſed minatum eſſe, quod ipſe *gladio* ius dicturus ſit ſuae ignauiae. Vnde apparet, militem ſciuiſſe, quod illi, qui cuſtodiam, *libidinis* cauſſa, deſeruerit, *capitalis* poena irrogetur.

Certe, ſi ex Germanorum, et inprimis Saxonum, legibus res aeſtimetur, dubitari vix poteſt, quin excubitores, deſerto vigiliarum loco, in *ſtupro* deprehenſi, *capitis* poenam meruiſſe cenſeantur. Seuere enim interdictum, ne milites *concubinas* aut *meretrices* alant in caſtris aut hybernis *c*). Itaque, cum omne *delictum* in excubiis commiſſum, *morte* expiandum ſit, quis parcet deſertori excubiarum, *ſtupro* aut *adulterio* ſe contaminanti?

Multo magis vero *capitis* poena afficiendus eſt, qui mulierem, cuſtodiae ſuae commiſſam, *ſtupro* aut *adulterio* cognouit. Hoc *facinus* etiam SYRACIDES, inter atrocia *delicta* referendum eſſe, iudicauit *d*). Ne credas, *Saxones* mitius tractaſſe ſtupratorem feminae, quam cuſtodire debuiſſet. *Commentarienſi* quidem iure Saxonico Electorali *fuſtigationis* poena imminet. Wenn derjenige, welchem eine Weibs⸗Perſon in ſeine Cuſtodien und Gewahrſam befohlen, dieſelbige Gefangene beſchläft, ſo ſoll er, wenn beyde Perſonen ledig, mit Staupenſchlägen des Landes verwieſen werden. *Conſt. El. Sax. XXV. P. IV. e*). Quid ergo faciemus de milite cuſtode? Nimirum *grauius* punitur *miles*, quam *commentarienſis*, cum milites probatiſſimi, quibus magis quam commentarienſi confidimus, eligantur ad cuſtodiam reorum. Hi igitur, ſi fidem iureiurando confirmatam fefellerint, conqueri non poſſunt de *capitali* ſententia, quae propter generalem diſpoſitionem Articuli VI. in omnes ferenda eſt, qui in excubiis delinquunt.

Vix attinet, vt de *homicidio*, in excubiis commiſſo, verba faciamus, cum illud quolibet in loco perpetratum, *ſanguine* homicidae expiandum eſſe,

b) PETRON. Satyr. Cap. 112. RADVLPH. FORNER. Rer. Quotidian. Lib. III. Cap. 19. apud OTTON. Tom. II. p. 218. *c*) Leopolds Art. Brief n. 12. apud LÜNIG. p. 102. Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Art. Brief n. 14. apud eund. p. 817. BEHAIMB Mil. delinqu. Obſ. XXV. KOSTKA Obſ. Milit. p. 157. et 158. *d*) SYRAC. Cap. XX. v. 4. *e*) CARPZ. Iurisprud. Crim. Part. II. Qu. LXIX. n. 24.

eſſe, ex lege diuina cognoſcamus. MODESTINVS tamen tractauit cauſſam *cuſtodis*, qui cuſtodiam ſuam, hoc eſt, reum cuſtodiae ſuae commiſſum, interfecit. Hunc enim *homicidii* reum eſſe, pronunciauit. *L. 14. ſ 4. D. de cuſt. et exhib. reor.*. Hodie quidem ex lege Criminali Carolina *poena rotae* perimendus eſt, qui data opera, inprimis per inſidias, reum, cum reſiſtere non poſſet, in carcere occidit. *Ord. Crim. Carol. Art. CXXXVII.*

§. XII.

Haec habui, quae de ſanctitate excubiarum, de *vigiliis* et *cuſtodiis*, admonenda eſſe iudicaui. *Votum ſeculare.*

Nos quidem laetamur vehementer,
quod Fides et Pax *et Honos Pudorque*
priſcus, et neglecta redire Virtus
audet f)

reducta et correcta diſciplina. Ideoque ſupplices oramus *Deum immortalem*, pacis *datorem* et *cuſtodem*, vt his ſacris volens et propitius interſit, vt *potentiſſimum patriae parentem*, cum tota *gente auguſta*, Numine ſuo *cuſtodiat* et firmiſſimo praeſidio *defendat*, ſalua *patria*, rebus *academiae* florentibus, ipſe exercitus ſuos pro nobis *excubare* iubeat, ipſe *vigilias* diſponat, denique ex *pace* communi et aeterna, fructus vberes diuturnosque ad nos peruenire patiatur.

---

f) HOR. Carm. Secul. v. 57.

CVI.

CVI.

EXERCITATIO IVRIS DE

PRETIO LEGALI.

AD L. LXIII. PR. D. AD LEG. FALCIDIAM.

VITEMBERGAE, DIE XXI. APRILIS cIↄIↄCCLVI.

L. LXIII. pr. ad legem Falcidiam.

PAVLLVS Lib. II. ad leg. Iuliam et Papiam.

Pretia rerum non ex affectu, nec vtilitate ſingulorum, ſed *communiter* funguntur.

§. I.

Pretii origo. Certum eſt, in paucitate hominum primaeua, et *communione* rerum omnium, quae, ſi exſtitit, tantum negatiua fuit, et ſolum ius vtendi fruendique comprehendit, nec *contractibus* fuiſſe locum, neque vnquam *pretio.* Verum deſerebant homines et abominabantur communionem illam, perturbationibus plurimis obnoxiam, et rixarum matrem. Atque poſt inceſſit pleroſque cupiditas, retinendi occupatas res perpetuo, alioſque ab eorum vſu et ſocietate excludendi, quoniam vel propter inuaſionis metum admodum erat dubia rei cuiusdam poſſeſſio, vel eam ipſam ob cauſſam agri iacebant inculti, cum quilibet non vano augurio timeret, ne ceteris negligentioribus potius araret, ſereret et meteret, quam ſibi. Abrogarunt igitur magiſtratus *nudum poſſeſſionis ius*, ciuibus antea datum a). Paucis enim, quemadmodum HORATIVS FLACCVS b) canit de rigidis Getis:

Non cultura placet longior annua:
Defunctumque laboribus
Aequali recreat ſorte vicarius.

Plurimi vero, ſi quid ego ſentio, *dominia* introduxere, inſtar praemii, vt cum vbertate et ſoli amplitudine populus labore contenderet. Vides rerum pro-

a) Quem *Germanorum* morem tangit CAESAR *de B. G.* L. IV. c. 1. et Lib. VI. c. 22. TACITVS *de mor. Germ.* c. 26. ibique V. GRONOVIVM. b) HORATIVS L. III. od. 24. v. 14. 15. 16.

proprietatem, et illius originem. Sed nondum forte intelligis, hac fuiſſe magiſtratuum cura plene ſatisfactum ſocietati hominum. Quamuis enim hic vel alter Attalicas conquiſiuiſſet opes, nec, vt glorioſus ille Cyclops apud NASONEM *c)*,

Si forte roges, poſſit tibi dicere, quot ſint,

ea tamen omnia illum non habuiſſe in dominio, quae ad commodam et iucundam vitam ſunt neceſſaria, quis neget? Hinc opus fuit, vt alter adiuuaret alterum liberaliter ſuo auxilio, et pro ea, qua pollebat, abundantia, egentis ſubueniret neceſſitatibus, atque mutua illius officia expectaret. Quippe ARISTOTELES *d)* opportune monet, *rerum communicatione officiorumque mutatione ſocietatem manere, et coniunctionem ciuium.* Quae et ipſa cauſſa non concordiam ſolum peperit cum *eiusdem ciuitatis* hominibus, verum etiam effecit, vt cum *aliis, eisque exteris*, communicarentur ea, quae hinc vel illinc adfluebant, bona. Etenim

Non terrae ferre omnes omnia poſſunt e),

et *coelo nunquam eſt tanta benignitas, vt omnes ſimul terras vberet foueatque f)*: id quod facilem ſuggerit coniecturam, ſapientiſſimum Numen eo reſpexiſſe, vt per mutuas eiusmodi praeſtationes etiam alius ſocietatis ciues in vnum quaſi corpus coaleſcerent, et praeterea, *quod genitum eſſet vsquam, id apud omnes natum eſſe videretur g)*. Illud, neſcio, an addam, quod exinde ſit *commerciorum origo* repetenda, quae primum propter *vitae neceſſitates* inualuerunt, *victusque gratia ſolum inuenta ſunt*, ſi PLINIO *h)* credis. Sed haud ita multo poſt e fecundiſſimis terris *vtilia*, nec non *iucunda* adportabantur. Quaecunque vero fuerint in commercio, abunde conſtat, nullum potuiſſe cogi populum, nullum hominem, (ſi caſum ſummae neceſſitatis excipias) vt quicquam alteri ſuppeditaret, niſi et aliae res inuicem redderentur. Atque hoc ſine dubio in ciuium ſocietatibus aperuit viam ac muniuit *contractibus*, quos inter *permutatio* antiquiſſimus *i)* fuit, certe vſitatiſſimus *k)*. Ab iſta *rerum vice*, vt POMPONIVS MELA loquitur, *origo emendi vendendique* coepit *l)*, *l. 1. pr. D. de contrah.*

c) OVIDIVS *Metamorph.* XIII, 823. *d)* ARISTOTELES *Ethic.* L. V. cap 5. *e)* VIRG. *Georgic.* II, 109. *f)* PLIN. *Paneg* c. 32. *g)* Idem PLINIVS in *Paneg.* cap. 29. *h)* PLINIVS *Hiſt. natur.* L. 33. cap. 1. *i)* Illud quidem OSIANDER ad GROTIVM L. II c. 12. §. 3 negat; verum eius argumenta poſſumus non inuiti concedere, et ſalua theſi noſtra. *k)* Quod de plurimis gentibus probat GOTTLIEB SAMVEL TREVER ad PVFENDORFIVM *de Off. hom et ciu.* L. I. cap. 14. §. 1. *l)* ABRAHAM GRONOVIVS ad POMPON. MELAM p. 125. Excellent CHRISTIANVS CRVSIVS de

trah. emtion ſemperque viſa eſt *emtioni vicina*, *l* 2 *D. de rer. permutat.* quin et *quaſi emtio* MODESTINO, *l.* 62. *D de Iur. dotium*; Propria tamen manſit ſpecies contractus, a venditione ſeparata, ex NERVAE ac PROCVLI ſententia, quae obtinuit, ac principum conſtitutionis eſt comprobata m). At enim *feliciori aeuo res inter ſe permutabantur* n). Poſt autem maxima ex parte *emtio* ſucceſſit in permutationis locum. *Quippe nec ſemper, nec facile concurrebat, vt cum tu haberes, quod ego deſiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles; ideoque numus eſt inuentus, cuius publica ac perpetua aeſtimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis ſubuenit. l* 1 *pr. D. de contr. emt.* o). Ergo hic contractus coepit inclareſcere, poſtquam humanum genus, (quae LVCANI p) verba ſunt)

in formam calidae percuſſit pondera maſſae,
fudit et argentum flammis, aurumque moneta
fregit, et immenſis coxit fornacibus aera.

Quo factum eſt, vt in emtione *res* et *pretium* ſedulo diſtinguerentur, atque in *pecunia ſignata* pretium conſiſteret, vt adeo ſcite iudicauerit PLINIVS q), qui *metalla*, ait, *nunc et ipſae opes et rerum pretia dicuntur.* Et proinde euenit, vt emtionis ſubſtantia penderet ex *pretio*. *l.* 72. *D. de contr. emt.* et, cum numorum multitudine ac valore, rerum dignitas et bonitas vel accreſceret, vel imminueretur. *l.* 2 *C. de vet. numiſm. poteſt* r).

Vera quidem haec ſunt, ſed in varias incidunt difficultates, neutiquam diſſimulandas. Scilicet iam quaeſtio enodanda venit, inualueritne pretium demum cum emtionibus contractu, an iam in permutatione adfuerit? Qui NERVAE et PROCVLO adſtipulantur, prius adfirmare videntur; verum poſterius adſerit ſchola SABINI et CASSII, ad quam poſtea quoque acceſſit CLAVDIVS

de originibus pecuniae, Cap II. vbi de permutatione, primo ad commercia gradu, copioſe et eleganter diſputat. m) *l. pen. C. de rer. permut.* § 2. *l. de emt et vendit.* Caeterum differentias emtionis et permutationis declarant *l.* 1. *D de contr emt* et *l.* 1. *D. de rer. permutat.* Vtraeque ſunt PAVLLI leges ex L. XXXIII. ad Edictum, vbi potiſſimum de emtione agitur. Igitur eſt emendanda inſcriptio *l.* 1. *de rer. perm.* in qua illa lex e libr. XXXII. ſumta eſſe dicitur v. IACOBVM LABITTVM in *Indice Legum Pandect.* p. 211. et ABRAH. WIELINGII *Iurispr. reſtitut.* P. II. p. 45. Vtramque vero legem accurate explicat IACOBVS CVIACIVS L. XXIII. *Obſ.* 28. n) PLIN. *Hiſt. natur.* XXXIII, 3. o) Cf. FERANDI ADDVENSIS *Explicationes* L. I. c. 19. in EVERARDI OTTONIS *Theſauro Iuris Romani* T. II. p. 526. in quo loco haec lex exponitur optime. p) LVCANVS L. VI. v. 402. ſeqq. q) PLIN Hiſt. Nat XXXIII, 1. r) IACOB GOTHOFREDVS libro ſingulari, *de mutatione et augmento monetae aureae*, et CONR. VAN BYNKERSHOECK *Obſeru* lib. 2. c. 22.

DIVS SALMASIVS [s]) et ARNOLDVS VINNIVS [t]). Quod ſi quis accuratius perpendat, animaduertet, ſaepius fuiſſe res diſparis naturae aut vtilitatis permutandas, ideoque aliquam *rebus quantitatem* adſignandam, ad quam illae exaequentur comparenturue, ne alteruter laedatur [u]). Habes ergo *pretium*, ſed *vulgare*. *Eminens* e contrario *pretium*, quod ſignato numo continetur, in emtionibus conſpicitur. Atque ita puto Sabinianos de *vulgari* diſputare, Proculianos autem de *eminente* pretio: et nihilominus permutationis manere ac venditionis differentiam. Credis haec fortaſſe. IVSTINIANVS modo dubitationem tibi iniicit, qui monet, *pretium debere in numerata conſiſtere pecunia. ſſ. 2. I. de contr. emt.* Igitur inſtas, illud nullo poſſe modo in permutatione reperiri, cum numos et emtionem homines eodem fere tempore receperint. Poſſet hoc aliquam prae ſe ferre ſpeciem Verum non retractabo ſententiam. Simulatque enim locum, de quo diſceptatur, perſpexeris, illico eluceſcet, Imperatorem exigere in emtione tale pretium, quod pecunia numerata conſtet, vt nimirum ille poſſit contrahendi modus a permutatione ſeparari, *quoniam emti fides ac venditi ſine quantitate, vel ſine pretio nulla eſt. l. 9. C. de contremt. l. 1. ſſ. 1 D. eod*

Non poſſum diſcedere ab hoc loco prius, quam admonuero, multa poſſe plenius intelligi, ſi concedas, in primo commerciorum genere ſeu *permutatione* inclaruiſſe *pretium*. Exinde enim patet, permutationem cadere *in res aeſtimatas* [x]); et inde debes etiam mea quidem ſententia latiorem vocis *pecuniae* ſignificationem eruere. Aiunt quippe ICti, pecuniae nomine non *numeratam* ſolum *pecuniam*, ſed *omnes in patrimonio res* tam ſoli, quam mobiles, et tam corpora, quam iura contineri. *l. 5. l. 178. l. 222. D. de V. S.*

§. II.

Pretii natura, fundamentum et partitio.

Fruſtra dixi, quae ſit contractuum origo, quae pretii, niſi huius inſuper demonſtrem formam ac modum, eiusque notas enumerem. Quas facili ſane negotio ex iis, quae hactenus diſputaui, extricabis. Etenim inuenta ſunt *pretia*, gliſcentibus commerciis et contractibus, per quos nihil vnquam aliud intenderunt homines, quam vt ſuis neceſſitatibus et deſideriis conſulerent,

s) SALMASIVS *de vſuris* cap. 13. t) VINNIVS in eruditiſſimo ad *Inſtitutiones Commentario* p. 6 7. Sed ibi notatus ab HEINECCIO. cf. WISSEMBACHII *diſp ad Inſtit. 35. th. 14.* et Illuſtrem GODOFR. MASCOVIVM *de Sectis Sabinianor. et Proculianorum* c. 9. p. 179. ſeqq. u) V. WOLFS *Gedanken von der Menſchen Thun und Laſſen* §. 908. 909. THOMASIVS in *Iurispr. diuin.* L. 2. c. 11. §. 8. ſeqq x) LAVTERBACHII *Comp. Iur.* p. 396. ibique leges cit. Nec obſtat *l. 1. C. de rer. permut.* quam DD. allegant, ſi in re taxata veram eſſe emtionem docent. Nam verbum *licet* non reſtrictiuum eſſe cenſeo, ſed extenſiuum, ita vt permutationem lex innuat, ſiue acceſſerit aeſtimatio, ſiue minus.

lerent, ſuisque ſatisfacerent finibus. Id ſi verum eſt, bonum aliquod expetierunt, dum pacti ſunt inuicem, et ex *magnitudine bonitatis* diiudicauerunt rem, determinaruntque. Quo tandem accidit, vt *menſura bonitatis pretium* vocaretur.

Itaque *rei nexus cum finibus hominum et cupiditatibus* pretii eſt *fundamentum* haud dubium *y*), et quo plures, quo maiores habueris et magis laudandos fines, quo arctior hic adfuerit nexus, et quo difficilius res illa obtineri poteſt propter *raritatem*, eo maius euenire pretium crediderim. Opportune VLPIANVS *aquam* in quibusdam regionibus venumdari, et maxime in Africae et Aegypti quibusdam locis *venalem* eſſe, monet, in quibus dulcis aqua rarius prouenit, vt propter multitudinem appetentium pretio ſit redimenda. *l. 1 et l. 14. ſſ. 3. D. de aliment. legat.* Eleganter etiam M. VALERIVS MARTIALIS Rauennam accuſat, quod in illa vrbe vina nullo ſint in pretio, et *carior* ſit *aqua*, quae ſitientibus vendatur *z*). Hoc eſt, quod ANTONINVS *et* VERVS Auguſti apud PAPIRIVM IVSTVM praeceperunt, grana non vilius vendenda eſſe, quam *annona* exigat, cum creſcat pretium rerum ex eorum *penuria*, et *multitudine* eorum, qui eas appetunt. *l. 3. pr. et ſſ. 1. D. de l. Iul. de annona l. 8. D. ad municipal.*

Nec minus inde ſtatim interpretaberis pretium, quod *commune* audit, ſi *plurimorum* ſcilicet reſpondet finibus ac cupiditati; ſin autem *ſingulorum*, in *affectionis pretium* degenerat *a*). At enim vero nihil refert, *bonum* iſtud, quadam in re detectum, veram nobis adferat perfectionem, an apparentem et animo conceptam, quia et tunc pretium exſurgit *imaginarium*: Hoc in-

y) Alii *fundamentum* pretii cum ARISTOTELE *Ethic.* L. V. cap. 5. in *indigentia* quaerunt, alii in ſola *raritate*, v. WALCHS *philoſophiſches Lexicon* ſub voce *Werth*, TREVER ad PVFENDORFIVM de O. H. E. C. p. 311. Reliqui non vnam ponunt, ſed plurimas cauſſas. Confer inter alios GROTIVM *in Iure Belli et Pacis* L. II. c. 12. §. 14. PVFENDORFII *Ius Nat. et Gent.* L. V. c. 1. et maxime BOECLERI diſſ. *de menſura pretii*, quae hoc caput inprimis tractat. Poſſes tamen omnium ſententiam facile conciliare: Sed his diutius non immorabor. *z*) MARTIAL. L. III. Epigr. 56.

cum poſſim multo vendere pluris aquam.

Iung. HORATIVM L. I. *Sermon.* Sat. V. v. 88.

Vaenit viliſſima rerum

Hic aqua.

cf. CONSTANTIVS LANDVS *Exercitat. in Ius ciuile* in OTTONIS *Theſauro* Tom. III. p. 1424. *a*) Summe Venerab. CRVSII *Anweiſung vernünftig zu leben* §. 540.

interim notare iuuat, quod tam *rei* detur *pretium*, quam *operae* b), ſiquidem vtrumque finibus et noſtro poſſet deſiderio ſatisfacere.

Tantum de natura pretii, et eius fundamento dixerim. Supereſt *diui-ſio*. Neque in hac copioſius ediſſeram, quod a ſexcentis aliis eſt obſeruatum. Qui *vulgare* pretium atque *eminens* eſſe profitentur, illud dependere dicunt a *cognitione bonitatis rei*, hoc contra *numum* indigitant, ad quem reliqua omnia vulgaria exigantur. Caeterum hoc vulgare pretium nonnulli tradunt aliud *commune* eſſe, aliud *affectionis*. Sed hoc cum paullo ante tetigerim, tranſeo nunc ad alia c).

§. III.

Non res ipſa ſibi pretium ponit ſed homines illud conſtituunt per conuentionem et legem. Pretium legale quid ſit et a quo fiat.

Proinde venio ad demonſtrandam quaeſtionem, ſcitu neceſſariam. Mea enim intereſt, planum facere atque euidens, quis demum hanc bonitatis menſuram conſtituat. Equidem multos ſcio breues hic eſſe in reſpondendo, et pretium quoddam ſibi fingere *internum*, ſeu *virtuale* et *naturale*, vt adeo rebus ipſis illud ineſſe opinentur. Addunt etiam exempli cauſſa metalla, quae naturali gaudeant bonitate. Vera haec ſunt, non nego. Sed nihil ad rem. Neque enim ſola innata rei bonitas pretium efficit, accedat potius neceſſe eſt, vt gradus bonitatis *determinetur*. Aquae alias, quae vel rerum optima cenſetur et vtiliſſima, immenſum vbique ſtatueretur pretium. Natura quidem rei interna eiusque praeſtantia occaſionem praebet pretio, et cupiditates hominum accendit, et eatenus id naturale eſſe largior; aſt inſuper requiritur, vt homo vſum et commoditatem rei eiusque raritatem cognoſcat, eamque poſt ratiocinando determinet, ac certis finibus

b) PVFENDORFII *I. N. et G.* L. V. c. 1. Quare et apud ICtos pretium pro *mercede* vſurpatur, *l.51.* §. 1. et 58. *D. locati*, *l. 10. in f. D. de acq. poſſeſſ.* Et TERENTIVS *Andr.* act. 3. Sc. 5. *pretium ob ſtultitiam fero* Sumitur etiam pro *praemio l. 5. § vlt. D. de iniur.* Quo ſenſu et apud VIRGIL. Aen. V. 292. *inuitat pretiis animos, et praemia ponit.* cf. NON. MARCELLVM de *V. S.* cap 4. c) Hic lubet addere coronidis loco praecipuos, qui doctrinam de pretiis explanant, auctores. Deſudauit ANDREAS DINNERVS in *iuſto rerum pretio definiendo*, cuius vero commentationem dente carpit maledico THOMASIVS cap. 1. §. 3. Diſſ. de *pretio affectionis in res fungibiles non cadente*, quae pariter huc referenda eſt. Iam laudaui KOECLERVM *de menſura pretii*, Tom I. diſſ. n. 29 quem operoſe, ſed parum accurate hac de materia egiſſe, non inaniter ſane monet TREVERVS ad PVFENDORFIVM l. c. p. 314. Illis iungo VFFELMANNVM *de pretio rerum*, atque COCCEIVM *de pretio affectionis et amoenitatis.* Tandem commemoro Ampl. HAMBERGERI *de pretiis rerum apud Romanos* diſquiſitionem, lectu dignam. v. *Goetting. Anzeigen* an. 1754. p. 1225. ſeqq. n. 140.

finibus includat. Quod innuere videtur mihi SENECA, dum diſertis verbis, *res*, ait, *plerumque venire non ſuo, ſed emtoris pretio* [d].

Stat igitur ſententia, definire *homines* aeſtimationem rei. Atque in *naturae ſtatu*, qui aequalitatem poſtulabat, pretium pependiſſe ex *conſenſu vtriusque partis* iudico. Attamen iniuſtum fuerit, et aequalitati maxime aduerſum, ſi *naturaliter* licuiſſet contrahentibus ſe circumuenire. Neque hoc POMPONIVS *l. 16. ſ. 4. de minor.* neque caeteri *LL. Interpretes* defendunt. Enim vero vt inſidioſe, vt ſimulate ac fallaciter agatur, non eſt noſtrarum legum, ſed *Sinenſium* philoſophia. Quapropter admodum eſt vana, quin nugatoria, illorum accuſatio, qui hanc in legem inuehuntur, nosque fraudibus et dolo aditum patefacere fabulantur. Etenim magiſtri artis noſtrae *bonam* ſemper *fidem* poſcunt [e]; Leges autem ciuiles in emtionibus *verum* diſtinguunt pretium a *iuſto* [f]. Illud eſſe dicunt, quanti res *communi hominum aeſtimatione* venit: Iuſtum contra ea, ex peculiari quadam ratione *l. 2. C. de reſcind. venditione*, *veri dimidium* eſt, ad cuius modum vsque paciſcentes poſſunt ſeſe inuicem circumſcribere. Ex his POMPONIO lux affunditur, qui ſignificare videtur, *poſſe contrahentes ſe circumuenire ſolum in pretio* [g] *emtionis et venditionis naturaliter*, hoc eſt, ſecundum naturam et ſubſtantiam huius contractus, vi cuius conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere; quod minoris ſit, pluris vendere. Illuſtrationem hanc eleganter PAVLLVS ſuggerit *l. 22. ſ. 3. D. locati*, et Impp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS confirmant *l. 8. C. de reſcind. vendit.* [h].

Nimirum, quia pretia rerum ex earum raritate, et cupiditate ementium conſtituuntur, ideoque ſaepiſſime variant et incerta ſunt, licet interdum venditori a *communi et conſueto* pretio diſcedere, et rem pluris vendere, ſi videat emtorem res venales cupidius appetere, et illas, non vbique obuias, magno ſtudio acquirendas eſſe. Nihil enim certi natura hic definit, modo caueat venditor, ne emtoris imbecillitate abutatur, illumque copiis emungat, atque ita ad egeſtatem cum magno ipſius et ſocietatis incommodo per-

d) SENECA *de benef.* L. VI. c. 15. cf. TREVERVM ad PVFENDORF. l. c. p. 307. not. 1. et 2. ERICVM MAVRITIVM de *Aeſtimatione*, in Eius *Opuſculis* p. 1212. *e*) CIC. *de offic.* L. III. c. 15. ſeqq. *f*) Alias interim verum et iuſtum pretium denotant vnum idemque, apud ICtos pariter atque Auctores optimos. GVILIELM. FORNERIVS *Selectionum* L. II. c. 19. apud OTTONEM in *Theſ.* T. II. p. 68. et RADVLPHI FORNERII *rerum quotidianar.* L. I. c. 19. apud *Eundem* T. II. p. 147. *g*) Adeoque haec circumſcriptio ad *pretium* reſtringitur, et ea neutiquam in illis negotiis locum inuenit, vbi de pretio rerum non agitur, in quibus ſcilicet *omnis inaequalitas* prohibetur. HENRICVS COCCEII in diſſ. *de remed. l. 3. C. comm. vtr. iudic.* Sect. 2. §. XI. *h*) Cf. GERARDVS NOODT *ad Digeſta* tit. de reſc. vendit. p. 410.

perducat. Hoc vero accideret, ſi pretium vltra dimidium pretii communis augeretur, cum pauci emtores ita opibus abundent, vt plus dimidio dare poſſint pro mercibus, quas ab aliis pretio minori comparare poſſunt. Quapropter diuiti emtori rem, quam ille magnopere deſiderat, et quae non vbique obuia eſt, pluris poſſum vendere, quamuis alii rem minori pretio aeſtimaturi eſſent. Enimuero pretia rerum conſtituuntur, vt mutuam indigentiam facilius commodiusque ſubleuemus. Hinc vendimus emtori illa, quae deſiderat, et quibus ipſi carere poſſumus, ſed recipimus ab illo pretium, quo ipſe carere poteſt, et nos indigemus.

Hactenus de indole pretii ſecundum *libertatem naturalem.* Pergam ad *ſtatum ciuitatis.* Pariter nempe in ſocietate hominum ciuili gradum bonitatis rei vel plurimum determinari per *conſenſum partium*, dubitabit nemo. Tunc poſſunt contrahentes ipſi ſuis rebus legem dicere, atque alienare illas non alio, quam quod volunt, pretio *i*). Surgit enim *arbitraria* ſeu *conuentionalis aeſtimatio.* Cui recte opponitur *legale pretium* *k*), de quo nobis quidem diligentius tractandum eſt.

Et cum illud adgredimur, vtique explorandum erit, cur natura huius pretii *bonitatis menſura*, *legis auctoritate definita*, nobis videatur. Videlicet *poteſtas ſumma*, quae maieſtate et ferendi leges iure praecipuo gaudet, non raro *certam* praeſcribit aeſtimationem. Saepius tamen *magiſtratibus* ea commendatur cura, maxime in *rebus*, *ad quotidianam neceſſitatem pertinentibus.* Quanto enim magis neceſſarium eſt prouidere, vt victus, ſeu ſolidioris alimenti adſit ſufficiens copia atque ſinceritas *l*), tanto diligentius diſpiciendum eſt illis, qui ciuitatem moderantur, de iuſto pondere, menſura atque *pretio* illius, quod communem omnium indigentiam ſubleuat. Proferam exempli loco *leges* Romanorum *frumentarias*, praeſertim *Sempronian*, qua ſancitum eſſe conſtat, quo pretio inopi plebi a ſenatu *ſinguli venderentur modii.* Quae lex ſaepius, vt fit, intermiſſa, poſt repetita fuit et inſtaurata, vel rogationibus tribunorum, auram popularem captantium, vel ab ipſis optimatibus, auctoritate ſenatus, cuius intererat, vt ſe populo gratioſum redderet *m*). Imperatoribus tamen, ANTONINO et VERO apud PAPIRIVM IVSTVM, non placuit, *ordini cuiusque ciuitatis permitti, vt* [illegible] *pre-*

i) *L. 71. D. de contr. emt.* *k*) Satius eſt *legale* vocare, quam cum PVFENDORFIO et aliis *legitimum*, ſiquidem non ita accurate opponantur ſibi inuicem termini. *l*) Quam doctrinam, quatenus ad iurisprudentiam ſpectat, venuſte diſputat Experientiſſ. Vir, IO. ERNEST. HEBENSTREIT in *Anthropologia forenſi*, Lipſ. 1753. iterum edit. Sect. I. cap. 2. §. 19. p. 78. ſeqq. *m*) CICER. *pro Sextio* cap. 48. *Tuſcul. Diſput.* L. III, 20. et in *Bruto* cap. 62. ERNESTI *clauis Ciceron.* in Indice Legum ſub *Frumentariae leges.* MANVTIVS *de Legg.* c. 27.

pretium grani, *quod inuehitur*, *conſtituant*, neque decuriones cogi voluerunt, *vt frumentum vilius*, *quam annona exigat*, *vendatur. l. 3. pr.* et *§. 1. D. de leg. Iul. de annona.*

Diligentiſſime IVSTINIANVS proſpexit, ne pretium *ſeruorum*, qui maxime erant in commercio, incertum eſſet, et ne ciues, dum ſerui aeſtimationem reſtituere iubentur, litibus et perplexa diſputatione diſtraherentur. *Ne enim*, inquit, *quantitas ſeruilis pretii ſit incerta*, *ſed manifeſta*, *ſancimus*, *ſerui pretium*, *ſiue ancillae*, *ſi nulla arte ſunt imbuti*, *viginti ſolidis taxari*: *his videlicet*, *qui vsque ad decimum annum ſuae venerint aetatis*, *in decem tantummodo ſolidis ponendis. Sin autem aliqua arte praediti ſunt*, *exceptis notariis et medicis*, *vsque ad triginta ſolidos pretium eorum redigi*, *ſiue in maſculis*, *ſiue in foeminis. Sin autem notarius ſit*, *vel medicus*, *ſiue maſculus*, *ſiue foemina*: *notarius quidem vsque ad quinquaginta*, *medicus autem vsque ad ſexaginta taxetur. Sin vero eunuchi ſint ſerui communes*, *maiores decem annis*, *ſi quidem ſine arte ſint*, *in quinquaginta ſolidos computentur*, *ſi autem artifices*, *vsque ad ſeptuaginta. Minores etenim decem annis eunuchos non amplius triginta ſolidis aeſtimari volumus. l. 1. §. 5. C. de communi ſeruo manumiſſo*, *l. 3. C. commun. de legatis.* Imo iam antea CONSTANTINVS ſeruos alienos, inſcio domino receptos, *pretio viginti ſolidorum aeſtimauit*, *quod domino cum ipſo ſeruo reſtituendum ſit l. 4.* et *5. C. de ſeruo fugitiuo.* Alio loco *Imperatores duodecim libras argenti*, *quaſi aeſtimationem ſerui*, *cum ipſo ſeruo ab his*, *qui ſeruum fiſcalem occultauerint*, *reſtituendos eſſe* praeceperunt. *l. 7. C eod.*

Habes *mancipiorum pretium*, lege definitum. Sed *liberi* quidem corporis aeſtimationem veteres *infinitam* eſſe cenſuerunt. *l. 176. §. 1. de R. I.* Paullo rectius maiores noſtri pro *homine libero*, per culpam occiſo, *Werigeldum* heredibus, et pro *membris* ſingulis mutilatis aut corruptis *certam quantitatem* laeſo ſolui voluerunt. Quamuis enim liberum corpus aeſtimari nequeat, diſplicuit tamen inanis illa magnitudo animi, qua Romani pretium pro membro corporis liberi repudiandum eſſe crediderunt. Satius viſum eſt, damnum, quod in corpore noſtro patimur, pecunia quacunque compenſari, quam egenos et debilitatos non ſolum integritate membrorum, ſed etiam pecunia egere. *Vet Lex Saxonum tit. 1. §. 11.* et *§. 13.* [n]) *Conſtitut. Elect. II. P. IV.* Legali igitur pretio non modo mancipia, ſed etiam membra liberi corporis ſubinde aeſtimantur, et interdum res aliae, quae in commercio ſunt, ne lites in infinitum protrahantur. Pro *arboribus* furtim caeſis aut corruptis, inprimis fructuoſis, non ſolum verum pretium domino

k) IO. FRIDR. POLAC Iurisprud. Ciuil. German. antiq. L. III. cap. 6.

no reſtituitur, ſed damnum etiam quadraginta groſſis, hoc eſt o), duabus ſexagenis veteribus luitur. *Conſt. Elect. 37. P. IV.* Tandem quoque *iudex* ordinat interdum pretium, quod non diſſimile eſt *legali* p) et tum obtinere creditur, ſi cognitione cauſſae praeuia rem adiudicat alteri; alteri, ne damnum ſentiat, *pecunia ſatisfieri iubet l. 3. D. fin. regund.* q). Eam rationem VLPIANVS et inprimis *Imperator* ZENO ſecuti ſunt, qui in rebus dolo ſubuerſis, aut per vim ablatis, pretium *arbitrio iudicis* definiri, et deinde actori, iusiurandum in litem, vel Zenonianum, praeuia iudicis taxatione, deferri iubent, vt, reſciſſis litium ambagibus, ſuum cuique ſine iniuria reſtituatur, *l. 3. ſſ. 2. D. ad exhibend. l. 9. C. vnde vi.*

§. IIII.

Cur legale pretium praefinitum ſit, qualique gaudeat effectu ac charactere generali.

Hucusque vidimus *autorem* legalis pretii. Sequitur eiusdem *ratio* grauiſſima. Non eam e longinquo arceſſas. Etenim cogitatum eſſe puto, quodam modo ſic obicem poni fallaciis contrahentium. Venditor et emtor *lucro ſemper inhiant*, et *forum plerumque*, quod ANACHARSIS apud DIOGENEM LAERTIVM r) profeſſus eſt, *mutuis negotiatorum fraudibus et auaritiae deſtinatur*. Ideoque olim iam *Manilianae leges* venalium vendendorum erant formulae, quibus vti poſſent, qui ſe nollent decipi s). Ne igitur dolus interueniret, vtque re poſſet aeſtimata emtor frui ex voto ſuo, pretium a ſuperioribus decernebatur, cum *ſordidam eſſe parſimoniam* crederent, *ſi tanti res vendatur, vt illa bono cedere emtoris nequeat.* Hoc THEOPHRASTVS obſeruauit t). Nolo verboſus eſſe in cauſſa manifeſta. Sed velim tamen intelligas, quae ſint *ciuium officia*, quando publica rerum aeſtimatio legibus deſcribitur et confirmatur. Enim vero ſi illa lege definita eſt, generalis regula non videtur negligenda, qua iniungitur, *pretium legale attendendum ab omnibus eſſe*, ſiue a *Principe* conſtituatur, ſiue Principe permittente a *primatibus ciuitatum*. Vtcunque enim fiat, commode IAVOLENVS adnotat, *non carere dolo poſſe, qui imperio magiſtratus non pa-*

o) Vid. K. P. u. Ch. Sächſ. Mand. wegen Pflanz- und Pfropf- auch Cultivirung fruchtbarer Bäume §. 19. d. d. Dresd. am 13. Jun. 1726. Patent wegen der Floß-Holz Deuben, bey der Saalen-Flöſſe de an. 1743. und Mandat wegen der Floß-Holtz-Deuben bey der Elſterwerder Flöße de an. 1745. p) Nec inconcinnum eſt, quod tale pretium, a *iudice* praefinitum, *legale* audiat. Poteſtas enim illud conſtituendi ipſi a ſuperiore indulgetur, quin legibus imperatur. Imo et hoc addas: Praetoris edictum vocari *legem*, *l. 1. §. 2. D. vnde cognati*, *legemque Fabianam* proferri a PAVLLO *ſent. recept.* L. III. tit. 3. q) Cf. Illuſtris Praeſidis mei, Magnifici CRELLII diſſ. *de ſeruitute neceſſaria etc. ſ. 7.* r) DIOGENES LAERTIVS L. I. c. 105. s) CIC. *de Orat.* L. I. c. 58. t) THEOPHRASTVS *Ethic. Charact.* cap. 10.

paruit. l. 199. D. de R. I. Ex quo deſcendit, quod, ſi plus datum ſit, illud iuſte *repetatur*, vel contractus *reſcindatur* ob qualemcunque laeſionem, quia, quae lege prohibente contracta ſunt, non ſolum pro inutilibus, ſed etiam pro infectis merito habentur. *l. 5. C. de Legibus* [u]).

Interim ambigitur, vtrum haec, quae dixi, ſint de ea dumtaxat ſpecie intelligenda, ſi plus venditor exigat, an quoque de illa, ſi minoris rem ſuam aeſtimet. At habeo mihi perſuaſiſſimum, vtrumque prohibitum videri ob ſummam magiſtratus et ciuilis imperii autoritatem. Quippe ciuium libertas ita lege, inſtar termini, circumſcribitur, et peculiares ſaepe occurrunt rationes, cur *nec poſtulare minus*, *neque offerre* debeas. Certe ſi viliori pretio res venderetur, omnes conuolarent ad eum modo, qui de legali pretio aliquid remitteret, isque reliquos ab omni commercio excluderet, et ſolus in republica negotiaretur; ipſe etiam proxime exhauſto patrimonio ad incitas redactus conturbaret. Ex quo ſatis apparet, parum referre, vtrum *plus* pro tua re exigas, an *minus*, quam magiſtratus voluit, cum vtroque modo conſilium legislatoris eludatur. Vnam vero ſpeciem velim excipias, ſi non omnibus, ſed quibusdam tantum, neque animo vendendi, quam potius *donandi*, de legali pretio aliquid ſubinde remittatur. In *donationibus* enim *Imperator* CONSTANTINVS *ſuae quemque rei moderatorem et arbitrum* eſſe voluit, niſi ad reliquos ciues aliquod incommodum peruenire videretur. *l. 21. C. mandat.* Neque tamen ciues facile conantur leges, quibus pretium definitur, peruicaciter perrumpere et conculcare, tacite potius ſtudent et lente illas diſſoluere. Sunt enim, qui annonam coemunt, et mala fide ſupprimunt, eamque poſt in calamitate fructuum excandefaciunt, ſiquidem *tunc annona habet pretium* [x]). Iſtos autem rei frumentariae flagellatores atque dardanarios et Romanae [y]) conſtitutiones *auaritiae* arguunt, et *turpis lucri* priſtinae Germanorum leges [z]), iisque hodie grauem ſtatutam eſſe poenam notum eſt [a]).

Satis explicuimus *effectum* generalem pretii legalis. Supereſt illius *forma*. Tantum vero abeſt, vt hoc, quod e legibus deſcendit, pretium aliam natu-

u) V. BERGERI *Oecon. Iur.* Lib. III. tit. 5. §. 6. not. 4. p. 507. edit. nouiſſ. PVFENDORFII *I. N.* et G. L. V cap. 1. §. 8. x) CICER. *Verr.* Lib. III. c. 98. y) *L. 6. D. de extraord. crim. l. 37. D. de poen. l. 2. D. de l. Iul. de annona. Imperator* GALBA militi cuidam, qui per expeditionem annona arctiſſima reſiduum cibariorum tritici modium centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit, ſimulacque indigere cibo coepiſſet, a quoquam opem ferri; *ita vt is poſtea fame extabeſceret*: SVETON. in GALBA cap. 7. Simile quid narrat LVCANVS IV, 93. z) Vid. *Capitul. Nouiomagenſe* de an. 806. apud STEPHANVM BALVZIVM *Capitul. Reg. Francor.* T. I. p. 455. a) Policey-Ordnung RVDOLPHI II. *de 1577. tit. 19.* MARQVARDVS *de Iure mercatorum et commercior.* L. IV, c. 6. n. 31. ROMANI diſſ. *de Dardanariis* cap. 4.

naturam induat, et *peculiari* quadam *bonitatis menſura* conſtet, vt potius *communem* hic *valorem rerum* obſeruari atque praecipi affirmauerim. Nam plerumque lex *communem* ſequitur *peritorum aeſtimationem*, *communemque omnium vtilitatem*. Fallimur? an inprimis hoc PAVLLVM mouit, vt in noſtra *lege 63. ad l. Falcidiam* doceret, quod *rerum pretia non ex affectu*, *neque vtilitate ſingulorum*, *ſed communiter fungantur*. Quam ſententiam PAVLLI vtiliſſimam, quia ſemper eſt in ore iuris interpretibus, et in quibusuis fere artis noſtrae capitibus obuia, age, pro viribus iam illuſtrabimus.

§. V.

Explicatur L. LXIII. ad leg. Falcid. eiusque vera lectio et ſenſus.

Non aberrauero a propoſita materia, ſi primo monuerim, PAVLLVM in dicta *lege LXIII.* SEXTI PEDII, ICti, recitare regulam. Id vel clarius exponit *l. 33. D. ad l. Aquiliam*, in qua idem *verborum ordo* et *vſus* et *auctor* reperitur. Vnum modo diſcrimen ſupereſt et exiguum, quod in hac ad *Plautium* commentetur PAVLLVS, in illa ad legem *Iuliam et Papiam*. Iam quaeſtio non inanis enaſcitur, qui fieri potuerit, vt, dum *legem Iuliam* tractaret PAVLLVS, in *rerum pretia* incidetet. Non improbo IACOBI GOTHOFREDI b) coniecturam, qui obſeruationem PAVLLI ad duodecimum huius legis caput retulit. Enimuero illud caput viro permittit et vxori inter ſe matrimonii nomine *Decimam* c) capere; ideoque *bona* coniugis defuncti *aeſtimanda*, eorumque fuiſſe *pretium* eruendum, GOTHOFREDVS arbitratur. Quae illius opinio veri fiet ſimilior, ſi addiderim, *legem 62. ſſ. 1. et legem 63. ad l. Falcid.* arctiſſimo cohaerere nexu, et iſtam *haereditatis mortui* ſimul mentionem iniicere. Quin etiam eadem *l. 62.* VLPIANVS verba facit *ad l. Iul et Papiam*, et *pretii naturam* pariter indagat. Quo factum eſt, ſi quid ego recte iudico, vt vtramque PAVLLI et VLPIANI ſententiam vna quoque orationis ſerie exprimerent GRAECI. Recitabo verba d): Τὰ σωματικὰ τῆς κληρονομίας πράγματα οὐ πρὸς τὴν τετυπωμένην σκοποῦμεν διατίμησιν, ἀλλὰ πρὸς τὴν διάθεσιν, ἥτε χρήσιμον τὸν δὲ καθ' ἕκαστον, ἀλλὰ πρὸς τὸν κοινῇ χρήσιμον.

Quae cum ita ſint, et illud legis Iuliae caput de *decimis coniugum* ſanciat, ſubinde docuerunt ICti *aeſtimationis modum*, qui in eiusmodi *hereditatibus* obtineret, eoque poſtea vſi ſunt in *legitima Falcidiae computatione*

b) GOTHOFREDVS in *fontibus quatuor Iuris ciuilis* p. 286. Cuius ſententiae ſubſcribit HEINECCIVS *ad legem Iuliam* p. 262. c) Cf. VLPIANVM *fragm.* tit. 15. in ANTONII SCHVLTINGII *Iurispr. Ante Iuſtinianea* p. 609. ſeq. Potuit tamen et cap. 21. vel cap. 25. legis Iuliae mouere PAVLLVM. vt quid de *pretio* notaret. d) E *libris* Βασιλικῶν per CAROL. ANNIBAL. FABROTTVM T. V. p. 384.

ne e). Igitur, *ſi qua ſunt in bonis defuncti corpora*, inquit VLPIANVS, *l. 62. cit. ſecundum rei veritatem aeſtimanda erunt, hoc eſt, ſecundum praeſens pretium, nec quicquam eorum formali pretio aeſtimandum eſſe, ſciendum eſt.* Statim intelligis, haec verba eſſe plana et aperta. Idem enim ille alio loco iam monuit, aeſtimationem pretii rerum ex *veritate* faciendam eſſe, *l. 42. D. ad l. Falcidiam;* et CALLISTRATVS reſcripſiſſe memorat Imperatores, quod iuſta pretia non ex emtione praeterita conſtituantur, ſed ex *praeſenti* aeſtimatione. *l. 3. ſ. 5. D. de Iur. Fiſci.* Neque hic attenditur pretium *formale*, ſeu *cenſuali forma definitum f)*, quia hoc incertum erat, et cenſuum ſaepius detegebantur vitia, ideoque ea emendare permittebatur. *l. 2. l. 4. ſ. 1. et 10. D. de cenſib.*

Dixi, quantum ſatis, VLPIANI gratia. Porro dicam de noſtra PAVLLI lege. Cuius quidem formula haec eſt: *Pretia rerum non ex affectu, neque vtilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur.* Multos ſane male habet eius ratio loquendi. Atque *fungi pretia* minus commode fuiſſe dictum, Grammatici obſeruant. Quocirca HALOANDER legit *finguntur*: Sed ſi finguntur, non ſunt vera pretia. Imo NICOLAVS CATHARINVS in *Obſeruationum libro g)* aliam ingreſſus eſt viam, et verbo *figuntur* fidem fecit, totamque voluit legem ita reſtituere: *Pretia non ex affectu ſingulorum, ſed ex vtilitate rerum communiter figuntur.* At vero ſi ita interpretari licet, ICtorum ſententias obtorto collo peruertemus, eum tamen neminem deceat, leges figere ac refigere, et conſilium ſuo ex ingenio adhibere. Neutiquam igitur ego PAVLLVM corrigo. Verum potius, ſi optimos ſequamur codices, *funguntur pretia*, hoc eſt, in locum rei ſuccedunt, ſubeuntque eius vicem *h)*. Quam loquendi formulam cum copioſe pariter atque erudite ROBERTVS *i)*, GOTHOFREDVS *k)* et alii *l)* extricauerint, nolo te diutius tenere.

Fun-

e) Habes iam rationem, cur haec verba TRIBONIANVS tit. *de lege Falcidia* inſeruerit. f) Fluctuant interpretes in *pretio* formali deſcribendo. Alii interpretantur, quod *a teſtatore definitum eſt.* Sed hos paullo poſt refutabo. Alii cum Iuris naturae doctoribus hic *conſenſum contrahentium* quaerunt, et pretio naturali opponunt. Reliqui cum IACOBO GOTHOFREDO *ad l. 2. C. Theod. de Suar. Pecuar.* Pretium *ſtatum, certum, perpetuum intelligunt, cuius eadem vbique taxatio ſit, ſtataque forma.* Verum id in applicatione ſubobſcurum eſt, magisque probatur mea ſententia ex *lege 4. pr. D. de cenſib.* vbi *forma cenſualis* reperitur. g) CATHARINI *Obſeru. VII.* apud OTTONEM in *Theſaur.* T. I. p. 487. h) Adſcribam verba PLAVTI *Amphitr.* Act. 2. Sc. 2. *Te abſente hic munus fungitur tuum*, i. e. in tuum locum ſuccedit, tuas partes agit. i) ROBERTVS *recept. Sent.* L. III. c. 14. k) GOTHOFREDI diſſ. *de functione et aequalitate in mutuo*, quam v. in Eius *Opuſculis variis*, Geneu. 1654. editis; et iunge BYNKERSHOEKIVM in *Obſeruat. Iur. Romani* L. I. c. 10. l) Inprimis cf. SCHVLTINGIVM in *Iurispr. Anteiuſtin.* p. 220. et p. 585. et LVDOV. CHARONDAE *Veriſimilia* L. III. c. 13.

Funguntur autem pretia *communiter*, non *communi iure*, quae HERALDI eſt lectio *L. 2. Animaduerſionum*. Nam *communiter* hoc certe loco ſumitur pro *generaliter*, vt in *l. 12. ſ. 1. D. depoſiti;* et aeſtimationem PAVLLVS praecipit, quae ex omnium affectu inſtituatur, et ſecundum *communem* vtilitatem. Hinc accurate *Graeci:* *πρὸς τὸν κοινῇ χρήσιμον·* id quod in *l. 33. ad l. Aquil.* vertunt: *ἀπὸ τῆς κοινῆς προλήψεως, ex communi omnium praeſumtione* m), ſeu quantum quilibet pro eo praeſtaret. Quare etiam POMPONIVS apud VLPIANVM ſerui *verum* pretium appellat, quod *communi* omnium aeſtimatione comprobetur. *l. 5. pr. D. de in rem verſo.* Videlicet vt pretium excutiatur, tanti res valere creditur, quanti venire poteſt. *l. 18. ſ. vlt. D. de mort. cauſ. donat l. 45. D. ad l. Falcid. l. 52. ſ. 29. D. de furtis.* Atque inde prono fluit alueo, rarius attendi *affectionem cuiusdam* et luxuriam quandoquidem haec aeſtimationi communi ac publicae aduerſaretur. Etenim *affectio*, quae quidem in Iure noſtro ſpeciali ſignificatione denotat *mariti erga vxorem beneuolentiam* n), a voluntate hominum dependet, quae rerum domina eſt, cum, PLINIO interprete, *ſingulorum libido ſingulis faciat pretia* o). *Quiue modus eſt cupiditatis*, inquit CICERO, *idem eſt aeſtimationis; fueritque difficile, finem facere pretio, niſi libidini feceris* p). Non ſemper eam improbare poteris, quamuis vilior tibi res videatur, et valoris tamen magni. Ecce immatura olea plus habet reditus, plus pretii, quam ſi matura legatur. *l. pen. D. de vſu et vſufr. leg.* q). Scite IAVOLENVS etiam mancipia quaedam, obſeruat, non pretio, ſed *affectu* aeſtimari. *l. 36. D. de bon. libertor.* Sed nihilominus peculiaris aeſtimantis affectus ſaepius luxuriam ſapit et fraudem et ineptias. Noli de eo dubitare. Occurrit MARTIALIS, qui commemorat emtorem, cui ſtultus magis homo in deliciis fuit et pretio, quique omnem deſiderat reſcindere venditionem propterea, quod ſtultum non acceperit. Obiurgationis enim plenus canit:

Morio dictus erat: viginti millibus emi.
Redde mihi numos, Gorgiliane: Sapit. r)

Abominantur leges hanc luxuriam, ac prohibent eiusmodi affectiones mirabiles, neque etiam patiuntur infinitam cuiusque et immoderatam aeſtimationem, ſed honeſtum eſſe modum in ea ſeruandum pronunciant. *l. 40. pr. D. de damn. infect.* Quare cum vel parum, vel raro obſeruetur affectio, illis optime conſulitur, qui eam ſuis in rebus non curant, quibusque ea de cauſa,

m) Libri Βασιλικῶν per FABROTTVM T. VII. p. 57. n) *l. 5. ſ. 1. D. de bon damnat.* v Illuſtr. CRELLII diſſ. de *Sermone maritali cum vxore* etc. §. 1. o) PLINII *Hiſt. Nat.* L. 37. c. 23. p) CICER. in *C. Verrem* L. IV. c. 7. ſub initium. Addatur *idem* in *Topicis* XVIII. q) CATO *de re ruſtica* c. 65. r) MARTIALIS L. VIII. Ep. 13.

cauſa, ſicut M. Catoni, conſulari et cenſorio, *neque aedificatio, neque vas, neque veſtimentum vllum erat manu pretioſum, neque pretioſus ſeruus eſt, neque ancilla* s).

Vix finis eſſet, ſi afferrem omnia, huc ſpectantia. Non praetermittam tamen, vltimo notare loco, *regionis morem* pariter, atque *momentum temporis* multum facere ad valorem rei, et inde demum pretium naſci *commune*. Id vel maxime PAVLLVS vrget, et ſub finem legis noſtrae *63. ad l. Falcid.* comprobat, *nonnullam pretio varietatem loca temporaque afferre. Nec enim tantidem Romae et in Hiſpania oleum aeſtimari, nec continuis ſterilitatibus tantidem, quanti ſecundis fructibus.* Quippe nouum non eſt inter ICtos, conſuetudinem regionis attendi, id quod, ſi exempla forte poſtulas, in *vſuris* ſtatim apparet, quae, ſicut *regione* frequentantur, praeſtandae ſunt. *l. 1. et l. 37. D. de vſur. l. 10. ſ. 3. D. mandati* t). Quid igitur mirum, quando et varia ſunt rerum pretia *per ſingulas ciuitates regionesque*, vt GAIVS auctor eſt? *l. 3. D. de eo, quod certo loco.* Quid etiam mirum, *valorem rerum*, teſte PLINIO u), *omnibus paene annis mutari, prout nauigationes conſtiterint, aut vt quiſque mercatus ſit, aut aliquis praeualens manceps annonam flagellet?* Quae volutans animo SENECA, *pretium cuiusque rei pro tempore eſſe*, acute dixit x).

§. VI.

Magiſtratus decernit pretium legale rerum ad neceſſitates vitae pertinentium. Qui magiſtratus olim eas curarint, quiue nunc curent inter Saxones.

Sed quorſum haec omnia? vt intelligatur, quomodo vera rerum pretia ſecundum *communem omnium vtilitatem*, et pro *tempore* et *more regionis* conſtituantur. Iam facile diiudicabitur, quod haec momenta magiſtratus debeat in oculis habere, ſi *legale pretium* deſignet. Illud autem, vt exiſtimo, neceſſarium eſt in rebus, ad culturam vitae et *quotidianam indigentiam* pertinentibus. Quarum quidem cura cum rectoribus ciuitatum demandata ſit, et in iis maxime legalis aeſtimatio deſideretur y), de hoc argumento loquendi faciam initium.

Scili-

s) GELLIVS *Noct. Attic.* L. XIII. c. 23. *Manupretium* vocatur, quod manu factum eſt, et quod datum pro eo. HARDVINVS *ad Plinium* T. II. p. 630. BRISSONII *Select. Antiq.* L. IV. t) Et hinc *ſolitae* vocantur legitimae vſurae, *l. 2. et 17. C. de locat. et conduct.* NOODT *de foen. et vſur.* L. II. c. 5. *Opp.* T. II. p. 214. u) PLINII *Hiſt. Nat.* L. XXXIII. ſub fin. x) SENECA *de Benefic.* VI, 15. Quod argumentum pluribus tractat CVIACIVS *Opp.* T. I. p. 1514. et 1524. et T. II. p. 1198. y) Quo etiam aliquatenus *leges* Romanorum *ſumtuariae* tendebant; v. c. *lex Cornelia quae minora edulibus pretia impoſuit.* MACROBIVS *Saturn. II.* 13. cf. Viri Excell. IO. AVGVSTI BACHII *Hiſtor. Iurispr. Rom.* p. 176.

Scilicet *alimenta corporis*, et *cibaria*, et quaecunque tibi ſunt in foro *victus* ergo obuia, magiſtratus aeſtimat, *taxas*que (vt aiunt) *publicas* z) proponit, quibus ſumma ciues obtemperare modeſtia tenentur. Exploratum eſt, mercatum tales poſtulare inſpectores, eosque ideo PLATO iam deſiderat *L. VI. de Legibus*. Ex hoc fonte deducendum eſt, quod inter *Lacedaemonios* fuerint, qui res in foro venales procurarent, et ſedulo animaduerterent, ne *pretia iniqua* ſtatuerentur a). Eosdemque magiſtratus ἀγορανόμους b), ſeu ἐπιμελητὰς τοῦ ἐμπορίου c) nominant *Athenienſes*. Quos propterea cum *Aedilibus* Romanorum exquiſite comparat DIONYSIVS HALICARNASSENSIS d), et PLAVTVS pariter,

Eugepe, (inquiens) *Edictiones aedilitias habet quidem:*
Mirumque adeo eſt, ni hunc fecere ſibi Aetoli agoranomum e).

Etenim *aediles plebis*, per vicos diſcurrentes et plateas et fora, *annonam* curarunt, resque omnes *promercales*; nec non *menſuras* falſas et iniquas fregerunt, *L. 13. ʃ. 8. D. locati* f) iudicaruntque de plano in cauſſis leuioribus: At lites, obortas in mercatu, diremerunt *Curules*. Igitur *aedilium edictum* inprimis ſancit *de rebus fori* g); atque ſatis arguunt eorum annonae procurationem *numi*, quos VAILLANTVS exhibet et SPANHEIMIVS, et in quibus iis χάραγμα tribuitur, duo modii cum ſpicis, et ſaepe praeter ea conſpicitur CERERIS ſpiciferae caput h).

Neque minus poſtea *Praefecti vrbi* praeter cetera, quae obibant olim, munera, obſeruarunt aſſiduo negotio, quae ad omnium ſuſtentandam vitam faciunt. Teſtis eſto VLPIANVS *l. 1. ʃ. 11. D. de offic. praef. vrbi*; teſtes ſunto auctores varii i). Sed quia plurimis diſtrahebantur officiis vrbi praefecti,

z) Inde in bene conſtitutis ciuitatibus videre licet die Marckt- Getraÿde- Mehl- Brodt- Fleiſch- Fiſch- und Victualien-Taxen. a) NICOL. CRAGIVS *de republ. Lacedaem.* L. II. c. 8. *in* IACOBI GRONOVII *Theſ. Graec. Antiquit.* T. V p. 2577. b) Ἀγορανόμος, HESYCHIO interprete, δικαστὴς ὁ ἐν τῇ ἀγορᾷ νέμων τὸ δίκαιον. Hi cuſtodes erant rerum venalium omnium, ſi ſolum *frumentum* excipias, cui σιτοφύλακες praeponebantur. c) GVILIELM. POSTELLVS *de republ. Athenienſ.* Cap. 34. ap. GRONOVIVM l. c. p. 1358. d) DIONYS. HALICARNASS. L. VI. c. 12. e) PLAVTVS *Captiu.* Act. IV. Sc. 2. v. 44. ex quo loco edicti aedilitii antiquitas probatur. f) IVVENAL. *Sat. X. v. 101.* PERSIVS *Sat. I. v. 130.* g) Tria modo aedilium edicta in Iure reperiuntur. BYNKERSHOEKII *Obſeru. Iur. Rom.* L. IV. c. 8. HEINECCII *Hiſt. Iuris* L. I. c. 3. §. 76. Et cum *locutiones* non in foro fierent, nullo modo ius de iis dixerunt *Aediles. l. 63. D. de aedil. edict.* Diſſentit CVIACIVS L. XII. Obſ. 38. aeg. *l. 33. C. loc. cond.* quae vero ſpuria videtur. h) VAILLANT *de famil. Roman.* T. II p. 213. SPANHEIM *de vſu et praeſt. numiſm.* T. II. p. 151. Conf. Illuſtris RITTERVS ad *Heineccii Hiſtor. Iur.* p. 111. i) FELIX CONTELORIVS *de praefecto urbis.* PANCIROLLVS *in notit. vtr. Imp.* c. 26. SCHVLTINGIVS *in Enarrat. part. primae Digeſtor. p. 133.* Iunge SVETON. in *Aug.* c. 37.

fecti, peculiaris ſubinde coepit inſtitui magiſtratus, qui *praefectus annonae* dictus eſt *k*). Hunc magiſtratum ſub SEVERO ALEXANDRO geſſiſſe VLPIANVM *ex l. 4. C. de contr. vel comm. ſtipulat.* intelligitur. Taceo curatores annonae, frumenti et alimentorum, quos MARCVS TVLLIVS *l*) et *antiqua marmora m*) commemorant. Soli tamen *ordini cuiusque ciuitatis* pretium grani, quod inuehitur, ſtatuere non licet, vt ſupra a nobis obſeruatum eſt ex *l. 3. §. 1. de l. Iul. de annona.* Tandem ne mireris, quod *pro adiuuandis pauperibus* illo fungi munere aliquando dicantur *epiſcopi*, quorum *ad prouidentiam pertineat, ne mercatores carius, quam par ſit, merces diſtrahant. l. 1. C. de Epiſcop. Audient. Cap. 1. X. de emt. et vendit.* Atque in *Capitulari Sueſſionenſi* apud BALVZIVM *T. I. p. 158.* conſtituitur, *vt per omnes ciuitates ab epiſcopo legitimum forum et menſura fiat, ſecundum abundantiam temporis.* Quod vero Saeculare Clericorum negotium parum placet Proteſtantibus *n*), qui malunt haec talia a ſaeculari iudice curari.

Nolo attingere, quae FRIDERICVS *Imperator* in *Feudorum libris* ea de re diſponit. Dignus eſt, qui audiatur ipſe. *Poſt natalem Sanctae Mariae vnusquisque comes ſeptem boni teſtimonii viros ſibi eligat, et de qualibet prouincia cum ipſis ſagaciter diſponat, et quanto pretio ſecundum qualitatem temporis ſit annona vendenda, vtiliter prouideat. 2 Feud. 27. §. 4.* Sed in his omnibus non licet diutius morari. Quem enim, quaeſo, fugiet, noſtris potius moribus ſolos ciuitatum magiſtratus *res in foro* aeſtimare *o*)? *Sereniſſimus* certe *Saxoniae Legislator* illud manifeſte praecipit. Adiiciam ipſa verba IO. GEORGII I. cuius memoria nobis eſt glorioſiſſima: Weil aber an einem Orte, nach Gelegenheit der Landesart, manches um ein gut Theil näher und wohlfeiler, als am andern zu erlangen, ſo ſollen die **Städte an Verfertigung gleichmäſſigen Taxes und Verordnung andrer hierzu dienlichen Dinge**, an ihrem Fleiſſe, ihnen und der Bürgerſchaft ſelbſt zum Beſten, nichts erwinden laſſen, wie wir dann unſers Theils dieſelben hierbey jederzeit gnädigſt zu ſchützen erbötig ſeyndt *p*). Pergitque alio loco: Und die von den Räthen geſetzten Inſpectores ſollen fleißig Acht haben, daß **die Victualien nicht geſteigert werden** *q*). Et quum perſpectum eſſet cuilibet, in foro non ſolum, verum etiam magis adhuc in diuerſoriis et tabernis meritoriis accendi cibariorum pretia, cauponum fraudibus

k) *L. 1.* C. *Theod. de pret. piſc.* BVRMANN *de vectigal. pop. Rom.* c. 8. p. 118. *l*) CICER. Epiſt. XI. *ad Att.* L. XV. *idem de Legg.* L. III. c. 3. *m*) GRVTERVS *Oper. Inſcript.* T. I. p. 435. n. 8. et alibi. Illuſtris PRAESES diſp. *de filio patris aut matris curatore* §. 2. *n*) BÖHMERI *Ius Eccleſ. Proteſtant.* T. II. p. 793. §. 9. *o*) *Annonae* cura, Iure Saxonico, competit *magiſtratui municipali. Weichbild.* art. 19. *p*) Policey-Ordnung *de an. 1612.* in *Codic. Auguſt.* T. I. p. 1475. *q*) *Codex. Auguſt.* T. II. p. 782. 783.

bus eiusmodi varia medentur edicta, et denuo *magiſtratibus* eius rei cura iniungitur r). Vides, qua ratione Principes noſtri publicae caueant indigentiae, et quotidianum victum aeſtiment. Quod pretium merito *legale* appellamus, poſtquam *generalis* eſt *cibariorum taxa* promulgata, ab IO. GEORGIO I. *Electore* s), atque ad omnes circulos Saxoniae accommodata.

§. VII.

Nec minus cadit legale pretium in operas tam manuarias quam liberales.

Accepiſti pretium, quod *rebus* interdum lege conſtituitur. Sed noli exiſtimare, nos modo *bonitatem rerum* determinare, neque *operis*, quae pariter poſſunt aeſtimari, *legale* aſſignare pretium. Etenim in Saxonia olim iam t) certi definiti ſunt termini, quibus ſe contineant, cuiuscunque ſint nominis, opifices, quando *laboris* exigunt *mercedem*. Hosque ne transgrediantur, et argento homines, vt fieri ſolet, emungant, *Senatus ciuitatis* debet diligenter obſeruare, cui videlicet iſtam prouinciam Legislator Saxo denuo detulit, hac formula: Daß die Räthe in Städten denen Handwerksleuten die bishero gebrauchten unchriſtlichen Steigerungen nicht nachlaſſen, ſondern alsbald in einer jeden Stadt, nach jetziger Zeit Gelegenheit, **eine gewiſſe Taxe in allen Handwerken** verfertigen, wider die Verbrecher gewiſſe Strafe ordnen, ſolche männiglichen publiciren, darüber halten, und alle Vierteljahre wiederum erneuern, da es nöthig, vermindern, oder auch pro ratione temporis erhöhen ſollen u). Eadem prouidentia conſtitutum eſt, ne *famulis mercenariis*, qui *operas ruſticas* inprimis locant, vltra *mercedem, lege definitam*, aliquid a conductore promittatur x). Haec igitur in operis manuariis et illiberalibus creduntur artibus habere locum. Illud autem magis miraberis, quod lex ſaepius quoque *laboribus*, *alias locari non ſolitis et inaeſtimabilibus* pretium praefiniat. Sufficit exempli loco *Aduocatorum honoraria et Iudiciorum ſportulas* memoraſſe. Quamuis enim *ciuilis ſapientia pretio numario non ſit aeſtimanda*, *l. 1. ſ. 5. D. de extraord. cognit.* prudenter tamen in Saxonia cautum eſt, propoſita *legali taxa*, quantum aduocatus debeat pro oranda cauſſa exigere. Neque hoc ſine exemplo factum eſſe, ex *l. 1. ſ. 6. 7. C. de offic. praef. praet. Afric. l. 1. ſ. 12. D. de extraord. cognit.* intelligitur. Inde ſinguli fere y) labores iurisperitorum aeſtimati leguntur in *Mandato Regio de an. 1724. d. 10 Ianuarii*, per quod *Auguſtiſſimus Rex* maiorum renouauit Ordinationes et correxit z).

Quod

r) *Ibid.* T. I. p. 1398. et 1475. s) General-Tax-Ordnung vom 31. Jul. 1623. in COD. AVG. T. II. p. 789. ſeqq. t) Neue Landes-Ordnung Herzog Moritzens *de an.* 1543. in COD. AVG. T. I. p. 20. u) COD. AVG. T. I. p. 1474. x) Neue Geſinde-Ordnung *de an.* 1735. tit. 2. §. 1. ſeqq. y) Nam poterit et plus petere aduocatus, ſi cauſſa grauiſſima ſit et ampliſſima. v. *Mandat.* cit. §. 14. z) v. COD. AVG. T. I. p. 1351. ſeqq. et 1386. ſeqq.

Quod idem in exteris etiam prouinciis obtinet, et maxime in Imperii Iudiciis. Quippe in *Aulica Imperatoris Cancellaria* admittuntur ſolum *ſportulae legales*, et *taxatoris* munus ſplendidiſſimum ſane habetur, obtingitque plurimum Comiti vel Baroni *a*). MOGVNTINVS autem *Archiepiſcopus*, vi Archicancellariatus, ius tenet ac poteſtatem ipſas hasce *taxas Cancellariae b*) conficiendi. Praeterea *Aulicum iudicium Rothweilenſe c*) nec non *Camera Imperialis d*), gaudet peculiari *taxa*, pariterque *Aulicum Imperii Conſilium*. Sed vtrumque promittit iudicium hoc in momento ſe emendaturum FRANCISCVS Imperator.

§. VIII.

Cibariorum taxam in comitiis publicat Elector Saxoniae.

Vix mihi tempero, quo minus poſt expoſitionem *pretii legalis*, tam *operis* hominum, quam *rebus* conſtituti, nunc extremis dumtaxat digitis attingam inſignem *Saxoniae Electoris* praerogatiuam, quae mihi, in prudentiam Iuris publici ſemel incidenti, fuit obuia, neque hic vllo modo praetereunda videtur. Scilicet Auguſtiſſimus Princeps in ſolennibus Statuum Imperii, et Electionum quoque comitiis *annonam* moderatur ſolus, *taxamque* publicat *cibi potusque*. Cuius muneris fundamentum dignitate nititur, qua praefulget, *Archi Mareſchalli*. Hoc enim officium non modo munus *Comitis ſtabuli*, verum et *Manſionarii* ſimul, (qui praeparat manſiones, id eſt, hoſpitia) et quasdam *Seneſchalli* (vel menſae regiae praepoſiti) partes complectitur *e*). Hodieque illud ius inuiolatum manet *Saxoni*, confirmatumque ipſi eſt publico nomine *f*), atque exercetur perpetuo, praeſertim in Electionum comitiis. Namque ibi, ſub auſpiciis Illuſtriſſimorum Saxoniae *legatorum*, more ſolenni *g*), *Ordinatio taxae* atque *Politiae* conficitur *h*). Quae poſt typis expreſſa cum tubarum concentu tympanorumque clangore in oculis omnium et palam promulgatur *i*).

§. IX.

Aliis euincitur exemplis legale pretium aeſtimationem ſequi communem.

Sed vt me ad propoſitum reducam, multum eſſe diſputatum cenſeo de valore rerum, ad viuendum neceſſariarum, vbi magiſtratus *communem* omnium

a) SCHMAVSSIVS *in Corp. Iur. Publici Academ.* p. 300. ſeqq. *b*) Ideoque illam IO. PHILIPPVS, *Moguntinus*, an 1658. inſtaurauit. *Idem* l. c p. 1050. ſeqq. cf. *Capitulat. Franciſci* Art. XXII. § 10. *c*) Rothweiliſche Hof-Gerichts-Ordnung *de an.* 1572. apud *Eundem* p. 326. ſeq. *d*) Cammer-Gerichts-Ordnung de an. 1614. P. I. tit. 46. et P. III. tit. 59. Viſitations-Abſchied des Cammer-Gerichts *de an.* 1713. apud SCHMAVSSIVM *l. c.* p. 1225. ſeqq. *Capitulatio noniſſ.* Art. XVII. §. 17. *e*) Illuſtris MASCOVII diſſ. *de Originibus officiorum aulicorum S. R. I.* §. 34. eiusdemque *Origines Iuris Publ. Imper* § 25. *f*) *Capitul. Franciſci* Art. 3. §. 25, Vergleich des Erbmarſchall-Amts *de an.* 1614. verbis: die bey dem Reichs Tage, apud SCHMAVSSIVM l. c. p. 769. *g*) v. *Wahl-Diarium* FRANCISCI I. T. I p. 98. *h*) *Wahl-Diarium* FRANCISCI T. I. p. 225. *i*) *Ibid.* p. 230. ſeqq.

omnium *aeſtimationem* ſequitur. Poſſunt tamen multa alia Iuris capita in medium proferri, in quibus pretium legale in *communi Aeſtimatione* continetur. Reuoca in memoriam *legem Aquiliam.* Cuius actione nonnunquam damnum perſequimur, quamuis datum fuerit culpa leuiſſima, *l. 44. D. ad l. Aquil.* et *communi pretio* illud aeſtimamus. PAVLLVS enim aperte: *Si ſeruum meum occidiſti, non affectiones aeſtimandas eſſe puto, ſed quanti omnibus valeret. l. 33. D. h. t.* Adeoque ſeruo occiſo non debes ex *affectione* domini erga illum determinare damnum, ſed tanti eum, qui occidit, condemnare, quanti erat empturus ſeruum alius quilibet. Haec communis aeſtimatio obtinet, ſiue agas de proprietate ſola peremti corporis, ſiue etiam ſimul, *quod tua intereſt*, repetas, *ſſ. 10. I. h. t. l. 21. ſſ. vlt. h. t.* ſiue tandem alter vel primo legis Aquiliae capite, vel tertio teneatur *k*).

Similis quaeſtio eſt *in rei alienae legato.* Heres enim iubetur, aut illam redimere, aut, ſi neget dominus, eam vendere, vel immenſum petat pretium, *iuſtam* eius praeſtare *aeſtimationem*, modo potuerit probare legatarius, ſciuiſſe teſtatorem, quod ea res ſit aliena. *ſſ. 4. I. de legat. l. 71. ſſ. 3. de leg. I. l. 14. ſſ. vlt. de leg. III.* Iudex autem, ex ſententia LABEONIS, aeſtimabit rem legatam *ſecundum veritatem et opinionem omnium*, vt ſolutione heres liberetur. *l. 30. ſſ. f. de leg. III.* Quam regulam plerumque ſequimur, quotieſcunque heres *aeſtimationem* debet. Certe POMPONIVS ita pronuntiat, *ſi bonorum pars legata fuerit, quae vel naturaliter eſt indiuiſa, vel diuidi ſine damno nequit*, iuſtam aeſtimationem ab herede praeſtandam eſſe. *l. 26. ſſ. 2. de leg. I.*

Praeterea non ita multo ante audiuiſti, propter detractionem *quartae*, quae *lege Falcidia* heredi datur, *praeſens, verum et commune* ſtatui *pretium* rebus, a defuncto relictis. *l. 62. ſſ. 1. l. 63. pr. ad l. Falcid.* Itaque iure veteri adeo fuit neceſſarium, vt neque teſtator poſſet Quartam hanc minuere, cum bona ſua minoris aeſtimaret. *l. 15. ſſ. 1. et 8. l. 27. D. ad l. Falcid. l. 81. ſſ. 4. de leg. I.* Hodie vero ea pollet facultate ſine dubio, ſiquidem teſtatori permittitur, omnem detractionem interdicere. *Nouell. I. cap. 2. §. 2. l*). At enim prorſus alia praeſcribitur computandi norma in *legato alimentorum* vel *vſusfructus*, quam arithmetica illa *lex 68. ad l. Falcid.* explanat, et nos in foro ſequimur *m*).

 Tan-

k) Cf. NOODT *ad leg. Aquiliam* Cap. 12. in *Opp.* T. II. p. 158. ſeq. Caeterum nullo modo obſeruatur hodie, *quanti res intra annum vel menſem plurimi fuit*, ſed *vera* debetur aeſtimatio, quanti die damni dati erat. HEINECCII *Elem. Iur. ciu. ſecund. Ord. Pandect.* P. I. p. 255. STRYKII *vſus modern.* h. t. §. 2. et 3. Aliter BERGERVS *Oecon. iur.* p. 621.

l) BERGERI *Oecon. Iur.* p. 323.

m) WERNHER, T. VII. *Obſ. 10.* Plura dabit ad h. l. VOORDA *ad leg. Falcidiam* p. 207.

Tandem male non interpretaberis, ſi ampliſſimum etiam contractuum campum, quamuis in tranſitu, ingrediar. Circumſpicienti quidem mihi prima ſeſe offert *emtio.* In hac velim obſerues *vulgarem et communem rei valorem* reſpicere ICtos, ſimulac de enormi laeſione quaeſtio mouetur, ideoque *ad reſcindendam venditionem* agitur. Haec omnia quia indubitata ſunt, confeſtim praetermittam, ſi modo addiderim, communem aeſtimationem hic vel per *iuramenti delationem* n) probari, vel *per teſtes et prudentes taxatores* o). Namque generatim magiſtratus ſolent *viros* adhibere *probos ac peritos*, et aeſtimandas iis res demandare. Hanc vides conſuetudinem in Saxonia teneri, cum venduntur bona, et praeſertim feuda aeſtimantur, quorum pretium deſignant illi, qui feuda ipſi poſſident p): Hi enim in eis cauſſis videntur optime iudicaturi eſſe. Caeterorum autem bonorum pretium vel *ſubhaſtando* eruitur, vel itidem *taxatione iuſta*, quam a rerum illarum peritis, iureiurando obſtrictis, expectamus. Quorum quippe arbitrium praeſentem et verum valorem rei determinat q), vt adeo concinne ſane r) VARRO, *pretium a peritis dictum eſſe*, pronuntiauerit.

§. X.

Pretium legale tamen maius ſaepe eſt, quam commune pretium.

Satis, vt exiſtimo, hanc partem tractauimus. Nec argumenta plura cumulabimus et exempla, vt pateat, legale pretium plerumque in *communi aeſtimatione* conſiſtere. Tempus enim eſt cogitandi, quod *fauore legis* tua res interdum *vulgarem ſuperet valorem*, et *quaedam pluris ſint*, *quam emuntur* s). Leges illud ſaepe ſanciunt in *poenam* alterius, ſi quid iuſſus reſtituere *ipſius rei loco* aeſtimationem tantum praeſtat. Interim neceſſe eſt tunc concurrat *dolus* alterius: quoties enim culpa fit et negligentia, quo minus reſtituat, verum modo pretium attenditur. *l. 68. D. de R. V. l. 2. D. de in litem iurand.* Poſſem huc referre *actiones mere poenales et mixtas*, quae, coërcendi rei cauſſa, ad duplum, triplum aut quadruplum per legum dantur auctoritatem, et quibus *maior ab actore ſumma* pro re, aut cum re ipſa, repetitur. Sed haec omnibus nota ſunt. Magis attinet obſeruare, poſſe

n) CARPZOV. Liber III. *Reſp.* 43. n. 5. o) LVDOVICI *doctr. Pandect.* pag. 337. n. 2. LAVTERBACH. *Comp. Iuris* p. 34. 42. p) O. P. S. V. tit. 40. §. 3. O. P. R. tit. 39. §. 8. q) *Conſtitut. elect.* XXXII. P. I. O. P. S. tit. 39. §. 14. vbi verba: Soll das Gut beydes dem rechten und gemeinen Werth nach, wie des Ortes die Güter auf die Zeit gültig, gewürdert werden, ꝛc. und bey ſolchen Tax dahin geſehen werden, wie man ſie nach Gelegenheit der Zeit insgemein zu kaufen und zu verkaufen pfleget. r) VARRO *de L. L.* l. 5. c. 36. RAEVARDVS *de R. I.* c. 16. *Opp.* T. I. p. 171. Igiturque CICERO L. IV. *in C. Verrem*, ſigna *Heii*, voluit ſpectari, *quanti eorum iudicio, qui ſtudioſi ſint harum rerum, aeſtimentur, et quanti haec ipſa, ſi palam libereque venirent, venire poſſent.* s) SENECA *de benefic.* VI, 15.

poſſe damni et lucri aeſtimationem ipſius corporis, in quo damnum acceptum eſt, pretium ſuperare. Hoc vnum IVSTINIANVS prohibet, ne in rebus, quae certam aeſtimationem habent, id quod intereſt duplum veri pretii excedat. *l. 1. C. de ſent. quae pro eo, quod intereſt* t).

His autem de rebus cum lis in iudicium deducitur, vel taxatio delegatur peritis patribus familias et iudicii perſonis u), vel res iureiurando *in litem* aeſtimatur. Video ampliſſimum exſpatiandi campum. Sed pauca delibabo. Enimvero per iusiurandum affectionis in litem, hoc eſt, in rem, de qua diſceptatur, actor ex *affectu ſuo* et arbitrio rem aeſtimat. Itaque in infinitum iurare poteſt, *l. 4. ſ. 2. D. de in lit. iurand.* Cuius rationem non e longinquo arceſſas. Quippe *dolus* ſeu *contumacia* non reſtituentis rem, aut non exhibentis, ita punitur. *l. 5. pr. et ſ. 3. l. 8. D. eod.* Neque enim iudex poteſt ſine iurisiurandi delatione rem, quae non extat, aeſtimare *d. l. 5. ſ. 4. h. t.* quamuis interdum *certa ſumma* praefiniri debeat, de qua iuretur, ne, arrepta occaſione, *immenſum* ſemper pretium petatur. *l. 4. ſ. 2. l. 5. ſ. 1. eod. l. 18. pr. de dolo malo* x).

Vides adeo, ſi quicquam vides, quod in hoc caſu leges permittant, *affectionis* habere rationem, et *communem excedere valorem rei*, et ſic dolum aduerſarii vindicare. Eadem prouidentia cautum eſt, vt fraus illius, qui veritatem diſſimulauit, et in litis conteſtatione, quae certa ſunt, negauit, caſtigetur. Conſtat enim, *litem inficiando creſcere*, vel, vt *Graeci* explicatius, διπλασιάζεσθαι y), i. e. duplari. Nolo tamen hic verboſus eſſe, quamuis bene ſciam, PAVLLO duce z), multas actiones creſcere in duplum, ſi a reo fuerint negatae, neque hoc me lateat, illam inficiationis poenam hodienum obtinere in Saxonia a).

Interim ne in mentem tibi veniat, *dolum* ſemper omnino cauſſam eſſe, cur maius pretium in locum rei ſuccedat, refert aliam ſpeciem proponere, ex qua res plenius intelligatur. Scilicet cum quis velit *iure protimiſeos*, vel *retractus* vti, tum demum cuiuis praeferetur extraneo, ſi tantum ſoluere paratus ſit, quantum alius bona fide obtulit, *etſi iuſtum pretium excedat.* Procul dubio venditori fauent leges, ne *duplex damnum* ſentiat, atque ſimul inuitus emtori rem tradere cogatur, ſimul vero partem pretii amit-

t) Cf. VINNII *Select. Iur. Quaeſt.* L. II. c. 37. et 38. ANTON. GVIB. COSTANI *Quaeſt. Iur. memorab.* cap. 4. in OTTONIS *Theſ.* T. V. p. 386. ſeqq. u) IO. FRIDR. WERNHERI diſſ. *de Iure taxationum* §. 26. ſeqq. x) LVDOV. CHARONDAE *Veriſimilia* L. III. c. 8. VINNII *Select. Iur. Quaeſt.* L. I. c. 45. RIVINVS ad *tit. XXXI. O. S. P. Enunc. 9.* y) v. IO. LEVNCLAVII *Notata*, iuncta *Paratitlis* p. 272. et p. 301. edit. Frf 1593. z) PAVLLVS *Sentent. Recept.* L. I. tit. 19. ap. SCHVLTINGIVM *Iurispr. Ante-Iuſtin.* p. 288. ſeqq. a) *O. P. S. R.* tit. 16. §. 3.

amittat. Inde etiam in *feudis redimendis* eandem regulam ſequimur. *2 Feud. 3. ſ. 1. Conſt. Elect. XXXIII. P. II.* [b]).

§. XI.

Nonnunc quam lex minoris aeſtimat rem, quam communiter venire ſolet.

Abunde videor hoc diſputaſſe, planumque eſſe reor, pretium legale ſaepius *communi maius* eſſe. Vnum reſtat enucleandum, illam legis aeſtimationem *ne quidem ſemper vulgarem omnium valorem* attingere. Huc pertinet, quod in Saxonia Electorali nullo pretio aeſtimentur *feudi meliorationes*, ſi noua aedificia *a vaſallo* inſtituta ſunt; namque aedificia feudo cedunt, quamuis a ſucceſſore vaſalli heredes iure poſſint Langobardico *iuſtum pretium* illarum petere *acceſſionum*, quibus feudi bonitas augetur [c]). At vero ſimiliter *ſumtus* improbant *immodicos* ICti, neque plus impenſarum nomine recuperari patiuntur, quam res ipſa exegit, quaſi infinitum impendium boni patris familias officio neutiquam reſpondeat. *l. 25. D. de pignor. act. l. 25. D. de negot. geſt.* [d]).

Habes duo exempla. Addam tertium. Namque ſpeciebus iſtis proxima eſt haec, ſi actori *ſolum damnum*, non *lucrum* ceſſans reſtituitur, ideoque actor *minus* accipere videtur; potuiſſet enim alias communiter maiorem conſequi pecuniae ſummam, ſi et damna et lucra fuiſſent aeſtimata. Atqui raro licet quaeſtum ſperatum et interceptum repetere, niſi vel alterius *delictum* in hoc accuſari poſſit, vel *mercatores* litigent, quod genus hominum lucris viuit, et quaeſtus gratia negotiatur [e]). Eſt tamen et alia obſeruatio, ex *lege Rhodia de iactu*. In qua ſeruatae merces non quanti ſunt emtae, ſed quanti venire poſſunt, aeſtimantur: at propter iactas et amiſſas detrimenti, non lucri, fit praeſtatio, forſitan propterea, vt amplior fiat contributio, eoque facilius iacturae damnum reſarciatur. *l. 2. ſ. 4. de l. Rhod. de iactu* [f]).

§. XII.

Singulares pretii legalis ſpecies recenſentur, inprimis natura pretii in contractu emtionis diiudicatur.

Quid ergo? Ipſe iudicabis ex his, quae adhuc propoſui, quod legale pretium plerumque *communis* ſit *aeſtimatio*, nonnunquam tamen illam *excedat*, nec non aliquando lex rem reſtituendam infra verum pretium *metiatur*. Itaque diſcederem ab hoc loco, niſi nouam ſtrueret aciem ingens quaſi agmen

b) HARTM. PISTORIS L. II. *Quaeſt. Iur. XII.* §. 7. ſqq. in *Opp.* p. 494. BERGERI *Oecon.* p. 512. c) *Conſt. Elect. XXXI.* P. 3. v. tamen 2. *F. 28. ſ. ſi vaſallus.* d) Iung. Illuſtris CRELLII diſſ. *de Seruitute neceſſaria ſ. 3.* e) GAILIVS L. II. *Obſ. 6.* n. 3. Adde *l. un. C. de ſent. quae pro eo, quod intereſt;* Quae lex generalis eſſe cenſetur. f) NOODT *ad Digeſta* h. t. p. 332. Sed vide BERGERI *Oecon. Iur.* p. 683. not. 9. ibique Celeb. BACHIVM.

agmen et multitudo *pretiorum*, quae in iure noſtro *legibus* definiuntur. Neque interim cum ſingulis rem habebo, ſed praeſtantiſſima quaeque adgrediar. Tua enim patientia abuterer, ſi apud animum ego conſtituiſſem, copioſius explicare, qua ratione vel maxime *ſubhaſtationibus* eruatur, *quanti omnibus res valeat*, vt propterea nequeat ſubhaſtatio reſcindi *g*). Nimis longa etiam foret diſputatio de *aeſtimatione fructuum reſtituendorum legitima h*), pariterque *de iuſto pignoris vendendi pretio*, ne, ſi minoris diſtrahatur, creditorem debitor de vero pretio conueniat. *l. 4. C. ſi vend. pign. agatur i*). Poſſem porro perſequi, quid leges iubeant in *locationis pretio*, quidue in *contractu aeſtimatorio*, in quo ſufficit, quod conſtitutum eſt, praeſtare domino, licet plus conſequatur alter, cum quo contractum eſt *k*). Neque minor etiam differendi ſubnaſceretur materia, ſi *fideiuſſores* attingerem, qui, ſuam fidem pro ſorte ſolum interponentes, ad vſuras ſeſe obligaſſe neutiquam videntur *l*). *l. 68. ſ. 1. D. de fideiuſſ.*

Haec et eiusmodi generis exempla facile ſunt obuia, et in omnibus iuris capitibus occurrunt, et abunde condocent, legibus eſſe vbiuis fere conſtitutum, *quantum praeſtari debeat* in cauſſis controuerſis. Ne vero vlla relinquatur dubitatio, peculiares placet proferre ſpecies, in quibus *pretium legale* quoddam deprehendes. Obſeruabis illud in *ceſſione nominis actionisue*. Qua facta viliori pretio, emtor vltra quantitatem pretii numerati, datique vſuras, nihil poteſt a debitore exigere, et illa ſumma contentus eſſe debet, quam ſoluerit cedenti. ANASTASIVS Imp. illam promulgauit legem, quam multi, quaſi ſphingem Thebanam, non intelligunt. Sed eam enodauit concinne, ac eruditiſſima illuſtrauit exercitatione *m*) nuperrime IO. AVGVSTVS BACHIVS, Vir Conſultiſſimus, Patronus et Praeceptor meus aeſtumatiſſimus. Cuius ne ſcrinia expilare videar, plura addere non lubet.

Accedo ad *vſuras*. Quas *vſus ſortis aeſtimationem* non perperam dixeris. *l. 60. pr. pro Socio.* Illarum quidem modus ante IVSTINIANVM certus erat, poterantque partes ad *centeſimam* vsque conſentire. Neque tamen vlla maior fuit. Et inde vſura centeſima dicebatur *ſtatuta*, *legitima* et *maxima n*). Sed nihilominus illa grauis viſa eſt, et *ſanguinolenta*, SENECA

NECA

g) *L. 5. C. ſi propter publ. penſ. Deciſ. Elect. XIX.* nouiſſ. de an. 1746. *O. P. R. S.* tot. tit. 39. *h*) HEINECCII *Elem. Iur. ciu. ad ordin. Pandectar.* P. I. p. 210. *Deciſio Elect.* nouiſſ. 2. et ad illam Illuſtris BAVERI diſſ. *de aeſtimandis et reſtituend. fructibus*, Lipſ. 1753. *i*) CARPZOV. P. I. C. 32. D. 35. n. 7. MEVIVS *Conſ. 109.* n. 3. *k*) BERGERI *Oecon. Iur.* p. 578. not. 3. *l*) LVDOVICI *doctr. Pandect.* p. 678. *m*) Lipſ. 1755. *n*) *L. 7. ſ. 5. D. de pact. l. 8.* C. *ſi certum petat. l. 1. et 2.* C. *Theod. de vſur.*

NECA *o*) iudice; magisque placuit *ſemiſſis* vſura, quae vocatur *modica.* IVSTINIANVS vero pro varia hominum conditione *varie* definuit vſurarum modum, atque, earum ſolutione non explendam eſſe foeneratoris auaritiam, ſed reſarciendum damnum, quod pati, et lucrum, quo carere creditores viderentur, conſtituit *l. 26. §. 1. C. de vſuris p*). Vtcunque haec exiſtimata fuerint, noſtris eſſe moribus *quincunces*, interdumque *ſemiſſales*, ſicut in cambiis, permiſſas *lege*, quis eſt, qui neſciat?

Hactenus de aeſtimatione ſortis atque vſuris legitimis. Nunc ſingulare quoddam *pretium legale* tango. Scilicet ICti in *ſocietate* magni iudicant *labores vnius ſocii*, vt illos alterius exaequent pecuniae collatae, atque adeo *praeſtationem operae et artis eſſe loco pretii* pronuntient. *l. 52. §. 2. D. pro ſocio q*). Plerumque enim tantam eſſe ſocii induſtriam, vt plus ſocietati conferat, quam pecunia, VLPIANVS docet *l. 29. §. 1. eod.*

Tandem vero bonis cum ominibus ad illum redeo contractum, vnde exorſus ſum. Supereſt nimirum, vt diſpiciamus, quale pretium in *emtione* cum legibus conſentiat. Explorarunt alii, pertinere *pretium* huius ad ſubſtantiam contractus, eumque dici perfectum, ſimulac de *pretio* et de re conuenerit. Magis igitur indicare debeo, artis noſtrae interpretes primo *numeratum* poſtulare pretium, vt emtio a permutatione diſcernatur. *§. 2. I. de emt. vend.* Quo in primis etiam referendum puto, quod illud *ſtatim* venditori, rem tradenti, ſoluatur, niſi fidem emtori habuerit, ne poſt traditionis diem vſuras pretii, *quae ex lege debentur*, exigat. *l. 5. C. l. 13. §. 20. D de act. emt.* Ante vero, quam numeratur, opus eſt, vt decernatur ſumma, atque *certa* conſtituatur rei aeſtimatio. Poſſunt eam vel ipſi

o) SENECA *de benefic. VI, 10. Centeſima* enim vſura, (quae et *foenus vnciarium*) erat pars ſortis centeſima, ſingulis menſibus ſoluenda; noſtro calculo: Zwölf pro Cent jährlich. Cf. PLINIVM L. X. *Epiſt.* 62. in qua *Traiano* ſuadet, *minuendam eſſe vſuram pecuniae publicae, et per hoc idoneos debitores inuitandos, quia alias otioſae iaceant, nec facile inueniantur, qui velint debere reipublicae duodenis aſſibus, quanti a priuatis mutuantur.* *p*) V. NOODT *de foen. et vſur.* L. II. cap. 3. et cap. 14. AVGVSTINI *Emendationes* L. II. c. 10. PAGANINI GAVDENTII *Expoſition. Iuridic.* L. II. c. 29. in OTTONIS *Theſ.* T. III. p. 386. IACOBI CVRTII Εικαςων L. III. c. 29. *ibid.* T. V. ANTON. GVIB. COSTANI *Quaeſt.* cap. 1. apud *Eund.* l. c. *q*) Quem locum ita reddit PETRVS AVELLANVS *in Loc. reſtitut. vel explicatis*, apud OTTONEM in *Theſ.* T. I. p. 473. ſeq. *Pretium operae artisue eſt aequamentum*, i. e. *aequum eſt, tum admiſſam praeſtari culpam, quando alter fundum, alter operam confert. Neque eſt, quod putet alteruter, ſe eſſe altero potiorem, quaſi rem parem non praeſtante; quippe pretium, ſeu aeſtimatio operae vel artis, aequat fundum ipſum.* Hactenus ille. Sed breuiter moneo, conuenientius dici: *aequat fructus ex fundo quaerendos.* Ipſa enim *res* non diuiditur cum ſocio, ſed *lucrum* modo *rei.* cf. VINNIVS *ſelect. Iur. Quaeſt. I, 54.* et in *Commentar. Inſtitut.* p. 697. CVIACIVS T. I. *Opp.* p. 211.

ipſi contrahentes praefinire, vel in tertii, eiusque certi [r]), arbitrium conferre, qui plerumque ſiue bonus vir, ſiue peritus cenſetur, et arbitrator appellatur. Merces autem, quas *in foro* magiſtratus aeſtimat, publico putantur et *certo* illo valore ſemper venditae [s]).

Non diſſimili forma leges porro *verum* pretium deſiderant. Ex quo fonte deriuatur, quod, vno numo et ſimulate facta ſi fuerit, venditio vera non eſſe videatur. *Contractus enim iſte imaginarius* donationi diſſimulatae, quaſi color quidam, obducitur. *l. 36. et l. 55. D. l. 3. et l. 7. C. de contrah. emt.* [t]).

Vltima denique ac peculiaris eſt nota legalis in emtione pretii, quod *iuſtum* illud ſit. Hoc velim intelligas ciuili ſenſu, non morali. Quippe legibus indulgetur, pretium adhuc iuſtum dici poſſe, modo quis *vltra partem dimidiam laeſus non ſit.* Etenim natura emtionis non patitur, quamlibet notare inaequalitatem. Quoties, quaeſo, alias reſcinderetur hic contractus, qui millies inter ciues celebratur, hominumque nunc ſuſtentat ſocietatem? Sufficerentne magiſtratus, qui eiusmodi lites ſopirent? Nonne potius haud immerito caſtiganda eſt leuitas alterius, qui ad rem non attendit, nec pretium inueſtigauit, ideoque ſua culpa interdum laeditur, et damno modico mulctatur? Haec et forſitan alia mouerunt *veteres Germanos*, vt venditones minime paterentur infirmari hoc ſolo obtentu, quod quis dicat, ſuam rem fuiſſe *vili pretio* venditam [u]). At enim vero *Romanorum* leges hac in re multo ſunt benigniores. Quamcunque quidem inaequalitatem non ſarciunt, et Praetor modica non curat, ei tamen omnino conſulitur, qui *laeſionem* eſt expertus *enormem.* Sufficit nominaſſe *l. 2. C. de reſcindenda venditione*, quae paciſcentium eſt commune atque ſalutare refugium. Dixi *commune* refugium, quod vſu fori obtinuit, et optimis procet interpretibus. Ipſa tamen lex multis viſa eſt *ſoli venditori* ſuccurrere [x]). Neque enim deſunt illis argumenta, qui *venditoris* cauſſam dumtaxat agi arbitrantur. Enim vero *lex. II.* parter atque *VIII. C. d. tit.* propo-

r) §. 1. *I. de emt. vendit.* et ad h. MASCOVIUS *de Sabinian. et Proculei.* p. 188. HUBERII *Obſ.* VII. s) VINNIUS ad § I. cit p. 674. t) Cf. Illuſtr. PRAESIDIS diſſ. *vtrum liberi actione quaſi Calniſiana* etc § 6. u) *Lex Wiſigoth.* L. V. tit. 4. § 7. apud LINDENBROGIUM *Codice Legum antiq.* p. 102. Iung. *Lex Baguuar.* T. XV. c. 9. §. 1. nec non *Capitularia Caroli M. et Ludouici Pii* L. V. §. 362. ap. BALUZIUM T. I. p. 901. x) vid. CUIACIUS L. XVI. *obſ. 18.* et L. XXIII. *ob. 32.* Quem ſecutus eſt MERILLIUS L. II. *Variant.* c. 5. et HUGO GROTIUS *in florum ſparſione ad cit. l. 2. C.* aliique.

poſitam tractat ſpeciem de *venditore*, non de emtore. Vtraque continet reſcripta Imperatorum ad facta certa, in libellis oblata. Praeter alias dubitationes poſſet aliquem etiam hoc mouere, quod emtori alia remedia in promtu ſint. Certe emtori interdum datur actio quanti minoris et redhibitoria y), pariterque actio in factum, ad id, quod intereſt z). *L. 1. ſ. 1. D. de aedil. Edict.* Quid? quod non ita facile circumſcribuntur emtores; *quorum vbi iudicium eſt, ibi fraus venditoris quae poteſt eſſe* a) ? Nimirum qui emunt, vile ſemper pretium offerunt, neque facile ea magnitudine animi eminent, qua Q. SCAEVOLA, qui apud CICERONEM b), cum venditor pretium fundi indicaſſet, reſpondit, *ſe pluris illum aeſtimare*; et centum millia addidit. Illud autem emtoris votum, viliori pretio comparandi rem, ex eo naſcitur, quod ad mercandum adigitur raro c), et negat potius, ſe velle emere. Aſt e contrario merx emtorem quaerit, ſaepiusque rei familiaris neceſſitate, vel alia cauſſa *venditor* ad diſtrahendum cogitur, vt adeo hoc etiam momentum cauſſam ſuggerat probabilem, cur *illi* ſit praecipue fauendum, et *ipſi ſoli* lex, de qua loquimur, ſubueniat d). Merito autem ſequimur vſum fori, apud nos lege comprobatum. *Conſt. Elect. XXXIV. P. II.*

Interea nondum in portu nauigamus. Vnus adhuc ſcopulus latet. Dubitaui nempe, emtori lex ſecunda ſtricto iure competat, nec ne. Audio tamen interpretes, non ſolum illud affirmantes, verum etiam *ad alia bonae fidei negotia* dictam legem adplicantes e). Alter alteri, quemadmodum alibi, ita et hic ſuccinit, quamuis expreſſa veterum auctoritate deſtituantur: accedatque ſingularis ac propria quaedam huius legis ratio, quam ante demonſtraui. Caeterum vero tantum abeſt, vt ex principiis Romani Iuris eadem quoque legis diſpoſitio in *omni diuiſione* locum habuerit, quippe quam propter laeſionem vltra dimidium tantum reſcindendam fuiſſe, nonnulli monuerunt Interpretum, vt potius *ea in melius reformetur, ſi quid ibi dolo fuerit perperam aut inaequaliter factum.* Quod DIOCLETIA-

NVM

y) VLPIANVS ait: aedilitium edictum *ſolis emtoribus* ſubuenire *l. 1. §. 2 de aedil. ed.* z) NOODT *ad Digeſt.* lib. 21. tit. 1. de aedil. Edict. p. 460. a) CICER. *de offic.* L. III. c. 13. Et PLINIVS L. I. *Epiſt.* 24. *mala*, inquit, *emtio exprobrare ſtultitiam domino videtur.* b) CIC. *de offic. III.* c. 15. c) Hinc *Diogenes* apud *Eundem* l. c. c. 13. ait: *Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem eſt.* d) Cf. SCHVTING. *ad Inſtitut. Caii in Iurispr. Anteiuſtin.* p. 66. NOODT *ad Digeſta* tit. de reſc. vend. p. 411. 412. e) NOODT l. c. HEINECCIVS *in Digeſtis* h. t.

NVM et MAXIMIANVM reſcripſiſſe, ex lege 3. *C. comm. vtriusque iudic.* intelligitur *f*).

Iam videor functus labore propoſito, cum excuſſerim praecipuas ſpecies *legalis pretii*, quae a ICtis recenſentur.

---

f) Diſſentit LVDOVICI *doctr. Pandect.* p. 197. et STRYCK *in vſu moderno* tit. fam. erciſc. §. 7. 8. Sed vide SAMVELIS *de* COCCEII *Ius Controuerſum ciuile* P. I. pag. 536. ſeq. BERGERI *Oecon. Iur.* pag. 525. ibique Ampl. BACHIVM, et p. 564. not. 9. SCHVLTING. *Iuriſpr. Anteiuſtin.* p. 695. et p. 817. HEINECCIVM in *Elem. Pandect.* P. I. p. 265. PARDVLPHI PRATEII *Sentent.* c. 8. in OTTONIS *Theſ.* T. III. p. 578. NOODT de *formae emendandi dolum malum* cap. 7.

CVII.

OBSERVATIONES DE SOLVTIONE PARTIS

AD L. XLIX. §. I D. DE ACTION. EMT.

VITEMBERGAE, DIE VIII. MAII CIϽIϽCCLVI.

I.

Qui diuerſo tempore *partes* exſoluunt, dicuntur *minutatim* ſoluere, *L. 8. §. 9. D. de tranſact.* et *particulatim* reddere, *L. 41 §. 1. D. de vſur. et fruct.* Solutio vero et exactio *partium* non minima incommoda habet. *L. 3. D. fam. erciſc.* CARZOV. *Part. II. Conſt. XXVIII. Def. XIII.*

II.

Qui *vnciatim* et *partibus minutis* recipiunt, quod ipſi *ſolidum* pro aliis impenderunt, *minus* recipere videntur. Plerumque enim negliguntur et diffluunt, quae *vnciatim* comparcimus; Ideoque diſſipantur, priusquam coa-

leſcant. *Exiguam* certe vtilitatem pariunt *partes minutae*, nec vacat cuilibet ſpes longas inchoare.

III.

Qui *ſolidum* debent, illis non licet *partem* duntaxat ſoluere inuito creditori. Vid. BACHOV. ad TREVTLERVM, *Vol. II. Diſput. XXIX. Theſ. II. lit. b. pag. 481.* Hinc non datur actio ex emto, niſi *totum pretium* venditori offeratur. Huic enim in mercibus competit *ius pignoris*, donec *totum pretium* ſoluatur *L. 13. §. 8. D. de act. emt.* Vid. BRVNNEMANNVS in *Comment. ad Pand. ad §. 8. l. c. pag. 737.*

IV.

Liberatur debitor, ſi vel *totum*, iuſto tempore et loco, exſoluerit, vel *totum* ſolemniter et legitime obtulerit et obſignauerit *L. 9. C. de ſolut. Dec. Elect. Sax. XXVII.* Vid. CARPZ. *Part. II Conſt. XXVIII. Def. XVI.* ANT. GVIBERTI COSTANI *Quaeſtionum Iuris memorabilium Lib. Cap. V.* apud OTTON. *Tom. V. pag. 389.*

V.

Interdum *creditor* cogitur *partis* ſolutionem accipere inuitus, inprimis ſi, mortuo debitore, obligatio inter eius heredes diuiſa eſt. *L. 6. C. Fam. erciſc.* Poena tamen conuentionalis committitur, niſi totum debitum, iuſto tempore, a coheredibus ſoluatur. *L. 25. §. 13. D. fam. erciſc.*

VI.

Compenſatio minoris quantitatis ipſo iure tollit *partem* obligationis maioris. *L. 11. et L. 12. D. et L. 5. et L. 7. C. de compenſ.* GILBERTI REGII, *Enantiophanων Iur. Ciu. Lib. I. Cap. VIII.* apud OTTON. *Tom. II. pag. 1483.* Hinc creditori inuito *partes* imputantur. *Fiſco* tamen non ſine diſcrimine compenſatio *partis* opponitur. *d. l. 7. C. de compenſ.* Vid. NICOLAI CATHARINI *Obſeruat. Lib. I. Cap. XLV. ad L. 43. D. de vſur.* apud OTTON. *Tom. I. pag. 496.*

VII.

Correi partes ſoluere poſſunt, propter beneficium diuiſionis, ſi omnes idonei ſint. Communiter tamen, et eodem iudicio, ſi res hoc ferat, cogendi ſunt ad ſolutionem. *Auth. Hoc ita C. de duobus reis ſtipuland. et promittend.* CARPZOV. *Part. II. Conſt. XVIII. Def. X.*

VIII.

Fauore cauſſae et *perſonarum*, creditor interdum *partis ſolutionem* accipere cogitur, praecipue *fauore libertatis*, ſi ſeruus pro manumiſſione *quantitatem* exſoluere iuſſus eſt. *L. 4. §. 6. D. de Statu liberis.*

IX.

Iudex poteſt *ſolutionem partis* admittere, ſi *pars* debiti ſit *liquida*, *pars* illiquida, vt lites diminuantur. *L. 21. D. de rebus cred.* Vid. EMVNDVS MERILLIVS *ad Tit. Pand. de rebus cred. in Theſ.* OTTON. *Tom. III. pag. 676.* et GVILIELMVS BARCLAIVS *ad eund. Tit. Pand. ibid. pag. 865.*

X.

Si conuenit, vt *vſurae* ex *ſolido* ſoluantur, curſus vſurarum non ſiſtitur, quamuis *pars* debiti ante diem venientem depoſita ſit. *L. 41. §. 1. D. de vſur. et fruct.* Creditor certe proteſtatione vſuras *totius* ſibi reſeruare poteſt *L. 4. §. 1. D. quib. mod. pign. vel hypoth. L. 8. D. de eo, quod certo loc. L. 1. D. de ſolut.*

XI.

Quamuis non promiſſae ſint *vſurae*, nonnunquam tamen praeſtandae ſunt, *officio iudicis*, ſi creditoris interſit. *L. 49. §. 1. D. de act. emt. L. 60. pr. D. pro ſocio. L. 6. §. 1. de pignorat. act.* GERARD. NOODT. *Tom. II. Oper. de foenore et vſuris Lib. I. Cap. V. pag. 185.* IOSEPHI NERII *Analect. Lib. II. Cap. XX* apud OTTON. *Tom. II. pag. 432.* IACOB CVRTII εἰκασῶν *Lib. I. Cap. XXI. et XXII.* apud *eundem Tom. V. pag. 114.* Hinc debentur vſurae non promiſſae, vel *ex re*, vel *ex perſona*, inprimis ex *mora* debitoris. *Moram* vero iudex, non certa definitione, ſed ex his, quae circumſtant, aeſtimat. *L. 32. pr. D. de vſur. et fruct.* Vid. LVDOV. CHARONDAE Πιθανῶν, ſeu *Veriſimilium, Lib. III. Cap. X.* apud OTTON. *Tom. I. p. 783.*

§. XII.

Si *vſurae* non ex *conuentione*, ſed ſolo *officio iudicis*, debentur, *parte ſoluta*, vſurae *partis ſolutae* non debentur, modo creditor non contradixerit, ſed *partem* acceperit. Hinc vſurae *pretii* non debentur ab *emtore*, quamuis *emtor* poſt moram demum *partem* pretii ſoluerit, niſi venditor *partem* acceperit, *ſalua cauſſa vſurarum. L. 49. §. 1. D. de action. emt.*

§. XIII.

Mercatoribus vſurae *pretii* pro mercibus traditis, die non adiecto, poſt ſex menſes, ſimpliciter debentur, etiamſi deinde *pars* pretii ſoluta ſit

ven-

venditori. *Deciſ. Elect. nouiſſ XV. de anno 1746.* Propter legis enim diſpoſitionem hae vſurae poſt moram reſeruatae cenſentur, quamuis mercator poſtea *partem* pretii acceperit. Ita reſponderunt Scabini Vitembergenſes Menſe Septembr Anno 1753. Daß Beklagte das Intereſſe morae von Zeit jeder Waaren-Lieferung, nach Ablauf einer 6. monatlichen Nachſicht, zu bezahlen ſchuldig. V. R. W. Quae ſententia confirmata eſt a curia Prouinciali Vitembergenſi, Termino Michaelis, Anno 1754, reiecta etiam a Supremo Regimine appellatione.

CVIII.

OBSERVATIONES DE VSV NOCTVRNO SERVITVTVM IN PRAEDIIS VRBANIS.

AD L. XIV. D COMMVN. PRAED. TAM VRB. QVAM RVST.

VITEMBERGAE, DIE XXIX MAII CIↃ IↃCCLVI,

L. XIV. D. communia praediorum tam vrbanorum quam ruſticorum.

IVLIANVS Lib. XLI. Digeſtorum.

Iter nihil prohibet ſic conſtitui, vt quis *interdiu* duntaxat *eat*: quod fere circa *praedia vrbana* etiam *neceſſarium* eſt.

§. I.

Fauor quietis, inprimis nocturnae. Omnes quidem quaerimus *portum* a) aliquem, et *perfugium*, in quo, cum intermiſſione laborum, et ſolicitudinum, ſecuri quieſcamus. Sit

a) *Effugium et*
Portus aeterna placidus quite L. et M. ANNAEI SENECAE *Agamem. nou v. 591.* idem *in Hercule furent v. 1072.*

Sit meae ſedes vtinam ſenectae:
Sit modus laſſo maris et viarum
Militiaeque b).

Ea de cauſſa etiam magiſtri artis noſtrae patrocinantur viciſſitudini *quietis*, inprimis *nocturnae*, ne, perpetua contentione neruorum, cum corporibus etiam animi frangantur. VENVLEIVS illum, qui, certo loco, proxime, ſe aliquid daturum promiſit, neque diebus, ac *noctibus*, neque omni tempeſtate contempta, feſtinare cogit, ſed laxamentum temporis ei concedit. Tota enim res illa, inquit, ad viri boni arbitrium remittenda eſt, qui conſtituat, *quanto tempore* diligens paterfamilias conficere poſſit, quod ſe facturum ſpopondit. *L. 137. ſ. 2. D. de verb. oblig.* Hoc mouit MODESTINVM, vt, in computatione *temporis*, quod tutoribus abſentibus ad excuſationem dari ſolet, *diurna* tantum ſpatia aeſtimauerit, quibus iter poſſint conficere, ne *quietem noctis* proficiſcentibus ademiſſe videretur *L. 13. ſ. 1. D. de excuſ. et ſ. 16. I. eod.*

Eleganter GAIVS noſter, etiam a venditore, qui ſeruum venalem affirmauit laborioſum ac *vigilacem* eſſe, non acerbe hoc exigi poſſe, docuit. Satis enim eſt *vigilax*, et laborioſus, qui *temporibus conſuetis* paratus eſt ad opus faciendum. Igitur nec perpetuam *vigilantiam*, nec *laborem* continuum hominis, per *dies* et *noctes*, in mancipio deſideramus, ſed modice et cum temperamento quodam, vt ſpatium *quieti* detur. *L. 18. pr. D. de aedil. edict.*

Neque tamen omnem *noctis laborem* auerſantur Iuris Interpretes, ſed patiuntur tempus aliquod ſomno eripi, quod occupationibus neceſſariis interdum conſumatur. PAVLLVS quidem homini libero, qui ſtatum ſuum in poteſtate habet, permittit, vt operas ſuas, etiam *nocturnas*, aliis locare poſſit c). *Militum* haec eſt conditio, vt *noctu* excubias faciant, et ſemper ad expeditionem parati ſint. Sed AEMILIVS PAVLLVS mutauit morem ſtationum, vt alii aliis ſuccederent, ne *perpetuo* labore feſſi elangueſcerent, neque, ante hoſtium aduentum, ipſis vigiliis contererentur d).

Fauemus igitur *quieti*, ne, immemores conditionis humanae, naturam peruertamus. Nimirum, *noctis* ſilentium et obſcuritas, creditur vacationem laborum indicere, corpusque et animum ad quietem inuitare. Ita illi apud VIRGILIVM MARONEM

— — — *poſiti ſub* nocte ſilenti
Lenibant curas et corda oblita laborum e).

Qua-

b) HOR. *Lib. 2. Carm. 6. v. 6. ſeq.* c) PAVLL. *recept. ſent. lib. 2. tit. 18. ſ. 1.* d) LIV. *lib. 44. c. 33 in fin.* FL. VEGETIVS *de re milit. lib. 3. c. 8.* e) VIRG. *Aeneid. lib. 4. v. 527.*

Quapropter veteres *quietem*, quae homini maxime accommodata eſſet, *quietem nocturnam* appellabant *f*):

— — — *oculos vbi languida frangit*
noċte quies *g*), *ſuadentque cadentia ſidera ſomnos h*).

Quae cum ita ſint, *noctis tempus* etiam illis remittimus, qui ad perpetuas operas praeſtandas obligantur. Opportune PAVLLVS et POMPONIVS admonent, operas eſſe *diurnum* officium, quo liberti, cum *noctis* tempus ingruit, confeſtim liberentur. *L. 1. et L. 3. §. 1. D. de oper. libert.* Noſtri etiam ruſtici, niſi aliter conuenerit, a *ſolis ortu*, vsque ad eius *occaſum*, operis funguntur *i*). Quae res ne dubitationi locum faciat, *campana* plerumque, tempus *veſpertinum*, wenn Abend gelautet wird, in pagis indicatur, vt ſciant ruſtici, tempus ingruere, quo, poſt labores, quiete et otio fruantur *k*). Videmus, ipſa etiam animalia huius rei ſtudio teneri, vt *noctis* ſilentio et *tenebrarum* opportunitate, a laboribus ſuis reuocata, *ſomnum* appetant et *quiete* aliqua reficiantur. VIRGILIVS MARO illam moderationem in apibus obſeruat, vt

Veſper *vbi e paſtu tandem decedere campis,*
Admonuit, mox tecta petunt et corpora curent.
Poſt vbi iam thalamis ſe compoſuere, ſiletur
In noctem, *feſſosque ſopor ſuus occupat artus l*).

Parcimus igitur *noctis* tempori, ſed *quietis* et *ſomni* cauſſa, quo feſſi et ſudoribus exhauſti recreemur. Omnes mirifice indignantur illis, qui ſtertentes, et ſomno oppreſſos, excitant tumultu. Hunc enim *ſomnum* ipſe MARCVS TVLLIVS omnium *laborum* et *ſolicitudinum perfugium* appellat *m*), quo etiam perturbati et miſeri reficiantur. Immo vero SENECA noſter in tragoediis *ſomnum* inuocat, qui ſit

— — — *domitor*
— — *laborum, requies animi,*
Pars humanae melior vitae,
Pater rerum et portus vitae n),

quandoquidem, qui ſomnum capere non poſſit, viuere non videtur.

Qua-

f) SENEC. *in Hippolyt. v. 99.* *g*) VIRG. *Aen. lib. 12. v. 908.* *h*) Id. *Aen. lib. 2. v. 9.* *i*) General-Befehl, *de anno 1609. in Cod. Aug. Tom. II. p. 361. ſeq.* *k*) POLYDORI RIPAE *tractatus, de nocturno tempore, cap. 5.* *l*) VIRG. *Georg. lib. 4 v. 186. ſeq.* *m*) CIC. *de diuinat. lib. 2. c. vlt.* *n*) SENEC. *in Herc. furent. v. 1065. ſeq.* Idem *in Agamemn. v. 76.*

Quapropter odioſi ſunt *nocturni lemures o)*, qui illud, quod poſt labores nobis iucundiſſimum eſt, et quod omnes mirifice appetimus, *quietem* ſcilicet et *ſomnum nocturnum*, nobis intercipiunt, quo ſi careamus, omnem vitam intolerabilem et moleſtam eſſe arbitramur. Audiamus Q. VALERIVM CATVLLVM, qui, fere hanc ſolam mercedem, hoc vnum praemium curarum et laborum eſſe, iudicat, quo, poſt incredibiles moleſtias, *ſomno* et *quiete* animum ac corpus recreemus:

Nam quid ſolutis eſt beatius curis,
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore feſſi, venimus larem ad noſtrum,
Deſideratoque acquieſcimus lecto,
Hoc eſt, quod vnum eſt, pro laboribus tantis *p)*.

§. II.

Tranſitus nocturnus per praedia vrbana non conceditur. Species ſingularis.

Fauemus igitur *ſomno* et *quieti* hominum, vt, laboribus defuncti, viciſſitudine quadam et remiſſione recreentur. Res fiet luculentior exemplo. Ordini ICtorum Vitembergenſium haud ita pridem eiusmodi ſpecies proponebatur: Vir bonus aurigae, qui, vt aeſtum ſolis euitaret, *noctu* plerumque iter faciebat, petenti et roganti aliquoties, *tempore quietis*, fores aperuerat, vt carpento onuſto, per medium eius praedium, transueheretur. Res mirifice placuerat aurigae, inprimis *compendii* cauſſa, cum anbages *viae regiae* euitare poſſet. Igitur ſaepius hoc officium efflagitabat. Colonus interim duxerat vxorem iuuenculam, et filios paruulos cum illa educabat. Hic clamoribus et importuna tumultuatione aurigae, ſemel atque iterum *noctu* e ſomno excitatus, tandem pertaeſus facilitatis ſuae, fores aedium muniuerat et obſtruxerat, vt auriga *nocturno tranſitu* excluderetur. Qui cum aegerrime tuliſſet, *viae nocturnae* compendio et commoditate ſe interclusum, cauſſa ad iudicem delata, conqueſtus eſt, quod quaſi de *poſſeſſione tranſitus*, per annos aliquos acquiſiti, iniuria et cum magno ſuo incommodo, deiectus eſſet. Reſpondimus Menſe Auguſto, Anno 1755, vix audiendum eſſe actorem, qui, coloni beneficio abuſus, *quietem nocturnam*, peſſimo exemplo, perturbare et omnes vicinos in periculum adducere auſus eſſet. Adſcribam ſententiae formulam, cum rationibus adiectis; Daß Klägers Suchen allhier nicht ſtatt hat, es bleibet ihm aber die Erörterung des ſtreitigen Puncts, ob der Durchzug mit Gehen, Reuten und Fahren durch den Herrnhoff zu N. nur allein bey Tage, oder auch in der Nacht, und

o) HOR. *Epiſt. lib. 2. Sat. 2. v. 209.*

p) CATVLL. *Epigr. 32. ad Sirmionem peninſulam v. 7. ſeq.*

und zu aller Zeit, ohne Unterſchied geſchehen könnte, alſo er in der geruhigen poſſeſs vel quaſi diesfalls zu ſchützen, gehörigen Orts gebührend zu ſuchen unbenommen. V. R. W. Rationes decidendi: Dieweil die Erörterung des ſtreitigen Puncts, ob die vorgeſchützte *ſeruitus viae*, oder Ueberfurth durch den Herrnhof zu N.

ſec. L. 14. D. commun. praed. tam vrban. quam ruſtic.

L. 22. §. 2. L. 50. §. 1. D. de operis libertorum

L. 17. §. 1. D. de aqua et aquae pluuiae arcend.

nur alleine von der Tage- oder auch zugleich von der Nachtzeit, in Anſehung derer beyfälligen Zeugen, zu verſtehen, und zu erklären ſey, in der Appellations-Inſtanz gebührend zu ſuchen, hiernächſt dergleichen gefährlicher Durchzug, zu ganz ungewöhnlicher Zeit, mit Beeinträchtigung der allgemeinen Nacht-Ruhe, und beſonderer Beſchwerung der Nachbarſchaft, nicht ohne Unterſchied geſtattet werden mag, mithin die Sache auf mehrerer Ausführung beruhet, ſo iſt geſprochenermaſſen von uns billig erkannt. Videtur non indignum eſſe argumentum, de quo diligentius a nobis exponatur.

§. III.

Noctis periculum. Suſpecta ſunt negotia quae noctis tempore adminiſtrantur. Delicta nocturna grauius puniuntur.

Defendimus igitur tranquillitatem *noctis*, *ſomni* et *quietis* cauſſa, ne ciuitas, continuis laboribus debilitata, perpetuo tumultu perturbetur. Sed haec ipſa *noctis quies* et amica *ſilentia* non nihil ſolicitudinis animis afferunt, et efficiunt, vt vix, ſine metu periculi, *quiete noctis* ſecuri perfruamur. Enim vero, cum plerique, propter *noctis* opportunitatem, ſomni ſepulti, requieſcant, et pauci ſint obſeruatores; facinoroſis ingeniis creſcit audacia, ſpe impunitatis, innocentes autem *timidiores* ſunt, propter ſolitudinem et reliquorum diſceſſum, quorum *quiete* intelligunt ſpem ſibi opis repentinae et auxilii intercludi. Hinc C. IVLIVS CAESAR etiam in *milite* timebat *nocturni* temporis licentiam, cum *tenebrarum* fiducia plurimi incontinentius cupiditati ſuae indulgerent, et vix commode a libidine reuocari poſſent q). Eadem de cauſſa in ciuili diſſenſione euitabantur *nocturna* praelia, cum perterriti milites facilius timore quodam percellerentur, *lux* autem ipſa et Centurionum conſpectus pudorem oculis afferret, multa denique alia occurrerent, quibus, ſi res *interdiu* gereretur, coerceri milites et in officio contineri poſſint r). Nox ipſa igitur dicitur *geminare* cuſtodiam, ſeu poſtulare plurium vigilantiam et excubias, ne imprudentes a callidioribus decipiantur. *L. 1. C. Theod. et L. 1. C. Iuſt. de cuſt. reor.* s). HORATIVS FLACCVS

q) CAES. *de bell. ciu. lib. 1. c. 21. §. 2.* r) *Id. ibid. c. 67. §. 2. ſeq.* s) PARDVLPHI PRATEII *Iurisprud. vet. L. 8.* ROMVLI *apud* OTTON. *T. IV. p. 442.*

cvs timet inprimis *nocturnos* adulteros, a quibus DANAEN, nec turris aenea, nec robuſtae fores, nec canum vigilum triſtes excubiae, ſatis muniuerant *t*), cum ipſae *tenebrae* adulteris animum augeant, et ſpem iniiciant rei feliciter perficiendae. Hinc enata eſt *furum* et *latrunculorum* ſolertia, qui *intempeſta nocte* alios opprimere et inopinatos decipere conantur *u*). ALFENVS habet tabernarium, cui, *noctis* tempore, non ſolum lucerna erepta eſt, ſed vis etiam facta et iniuria illata, fauore *noctis intempeſtae. L.* 52. *ſ.* 1. *D. ad L. Aquil.* Opportune obſeruat VLPIANVS, quae *clam* geruntur, plerumque *noctu* fieri; ideoque ad illa, quae *clam* fiunt, saepiſſime *vim* aliquam adiungi, cum *clandeſtinitatis* commoditas confirmet licentiam eorum, qui vim facere conantur. *L.* 11. *ſ.* 5. *D. quod vi aut clam x*). LABEO etiam apud PAVLLVM monet, furta plerumque *nocte* et *clam* fieri; ideoque furta a furuo appellari, cum periculoſae illae furum inſidiae ipſis *tenebris* facillime tegantur. *L.* 1. *pr. D. de furt.* Eadem cautione Praetor in cuſtodienda muliere praegnante, poſt mortem mariti paritura, vſus eſt, et edixit: vt tempore puerperii tria minimum *lumina* ſint in conclaui, cum *tenebrae* ad ſubiiciendum partum aptiores eſſe videantur. *L.* 1. *ſ.* 10. *D. de inſpiciend. ventr.*

Omnia igitur ſuſpecta ſunt, omnia timeri debent ab his, qui *noctis* et diei officia peruertunt *y*), vt impune et licentioſius graſſentur. VLPIANVS commemorat piſcatorum inſidias, qui, *lumine* oſtenſo, *nocte* decipiebant nauigantes, quaſi in portum illos delaturi, vt propius accedentes naues, piratarum more, diriperent, cum coeli obſcuritas occaſionem praedae ſubleuaret. *L.* 10. *D. de incend. ruin. naufrag.*

Haec *noctis* pericula perſuaſerunt *Romanis*, ne *flamini diali* permitterent vltra *noctem z*), aut propter multas difficultates vltra *binoctium a*) ab vrbe abeſſe. Neque Praeſidi fines Prouinciae excedere, vel voti ſoluendi cauſſa *abnoctare*, et ſuos deſerere licebat, ne res *noctu* in periculum adduceretur. *L.* 15. *D. de off. praeſ.* Generaliter obſeruat POMPONIVS, non conueniſſe magiſtratibus *veſpertino tempore* in publicum prodire: Ideoque Quinqueuiros conſtitutos, qui *noctu* cis et vltra Tiberim pro magiſtratibus fungi poſſent. *L.* 2. *ſ.* 31. *D. de orig. Iur.* In mentem venit PAVLLVS, qui, *triumuiros* incendiis arcendis conſtitutos eſſe, ait, vt, propter *noctis pericula*, excubias agerent; ideoque *nocturnos* a vetuſtioribus appellatos, ne *noctu* aliquid incommodi acciperetur. *L.* 1. *D. de off. praef. vigil.* Certe *praefectus vigilum* totam *noctem* vigilauit,

t) HOR. *Carm. lib.* 3. *Od.* 16. *v.* 1. *ſeq.* *u*) CVRT. *lib.* 4. *c.* 13. §. 4. *et* §. 8. *ſeq.* FLOR. *lib.* 3. *c.* 5. GROT. *de Iur. bell. et pac. l.* 3. *c.* 1. *n.* 20. *x*) GVIL. FORNERII *ſelectionum lib.* 1. *c.* 22. *apud* OTTON *T. II. p.* 33. *y*) SENEC. *Epiſt.* 122. *z*) LIV. *l.* 5. *c.* 52. *a*) TAC. *Annal. l.* 3. *c.* 71.

lauit, coërrauitque calceatus, cum hamis et dolabris, praepoſitus ſeptem cohortibus *vigilum*, quorum curam AVGVSTVS, ſalutis publicae cauſſa, ad ſe inprimis pertinere iudicauit. *L. 1. et L. 3. pr. §. 1. et 3. D. eod.* b) Non attingam *Nyctreparchos*, quorum nomen IVSTINIANVS ferre noluit, ſed officium Praetoribus Plebeiis accommodauit. *Nou. 13. pr. et c. 1.* Eadem prouidentia *potentiſſimus Saxoniae legislator* Magiſtratibus mandauit, vt cauponas, popinas et diuerſoria, inprimis ſecreta, atque a continentibus aedificiis ſeiuncta, *noctu* inuiſerent, ne qua colluuio hominum nefariorum, confiſa tenebris, congregaretur. Daß die Obrigkeit die Gaſthöfe, Schenken und Wirthshäuſer, beſonders die abgelegenen, zum öftern, bald am Tage, bald zur Nachtzeit, viſitiren ſollen c).

Haec cum ita ſint, tempus *noctis inopportunum* eſſe dicitur et minus accommodatum ad negotia adminiſtranda. Forte hoc *noctis* tempus notauit AFRICANVS, qui, moram debitoris accuſari poſſe, ait, ſi *loco* vel *tempore inopportuno* ſolutionem obtulerit, cum habeat creditor, cur timeat, ne, fraude debitoris, in *tenebris* decipiatur. *L. 39. D. de ſolut.* Nimirum, vt diximus, non carent *ſuſpicione*, quae cum *interdiu* ſuſcipi potuiſſent, *noctis* tempore perficiuntur. Vix impetrauit a ſe VLPIANVS, vt tolleret dubitationem, an *noctu* liceret *ſignare teſtamentum*, cum eſſet periculum, ne falſae tabulae ſubiicerentur. *L. 22. §. 6. D. qui teſt. fac.* Obtinuit tamen, vt, ſi res moram non tulerit, et plures negotio interfuerint, non ſolum teſtamenta, ſed etiam pacta et transactiones, *noctis* tempore, perficerentur. *L. 20. C. de transact.* Sed quia res ſuſpicionibus non caret, ad Notarii officium pertinet, vt horam, tempus ſpeciale, quo quodlibet negotium coram teſtibus geſtum eſt, adſcribat, vt deinceps plenius et facilius de cauſſa cognoſcatur d). Pontifex vero INNOCENTIVS III. *tenebras noctis*, cenſuit, minus conuenire exercendis iudiciis et litibus diiudicandis. *C. 24. X. de off. et pot. iud. del.* e).

Sed maxime veteribus *coetus nocturni*, aliquid monſtri alere, atque ad res nouas ſpectare, videbantur. Ius XII. tabularum capitis poenam illis

b) SCIPIONIS GENTILIS *Orig. ad Pandect. lib. ſing. voc. Triumuiri nocturni apud* OTTON. *T. IV. p. 1359.* FERAND. ADDVENS. *Explicat. lib. 1. c. 51. apud eund. T. II. p. 558.* c) Mandat wegen Aufſuch und Entdeckung des Diebs- und Räuber-Geſindels, de dato Dreßden den 14. Dec. 1753. d) BRVNNEM. *in Comment. ad Cod. Iuſt. ad L. 20. C. de transact.* ZAVNSCHLEIFFER. *de transáct. nocturn. ſect. 3. §. 1. p. 70.* STRYK *in Caut. Contract. ſect. 1. c. 4. §. 14.* e) FER. ADDVENS. *Explicat. lib. 1. c. 14. apud* OTTON. *T. II. p. 519.* THEODORI MARCILII *Interpret. L. XII. tabular. c. 8. apud* OTTON. *T. IV. p. 240.*

illis conſtituit, qui *coetus nocturnos* egerint *f*). Quapropter *triumuiris nocturnis* hoc negotii datum eſt, vt cauerent, ne qui nocturni coetus fierent *g*). Ne *ſacra* quidem *nocturna* ſuſpicione caruerunt. PAVLLVS certe *ſacra impia*, *nocturna* et *nefaria*, coniunxit *h*), quamuis conſtiterit, *ſacra* VESTAE *i*), et alia nonnulla, *noctis* induſtriam deſideraſſe, et ipſe IVSTINIANVS Clericis permiſerit *nocturnas cantiones*. *L. 42. ſſ. 10. C. de epiſc. et cler.* *Nocturna* quidem *ſacrificia* Chriſtianis etiam, cum liberius ſpiritum ducere et *interdiu* ſacra obire poſſent, propter *nefariam* multorum *licentiam* diſplicuerunt. *L. 5. et L. 7. C. Theod. de pagan. ſacrif.* *k*) Timebant certe *Imperatores*, ne, tempore *nocturno*, preces nefariae, cum ſuperſtitionibus et magico apparatu et funeſtis ſacrificiis, obtentu ſacrorum, tegerentur, *L. 7. C. Theod. de malef. et mathem.* Olim quidem PLINIVS SECVNDVS in Chriſtianis non probauit, quod, ante *lucem*, ſoliti eſſent, ſtato die, ſacrorum cauſſa, conuenire *l*). CAECILIVS apud MINVCIVM FELICEM *nocturnis* et *occultis* ſacris ſuſpicionem aliquam ineſſe iudicauit *m*). Teſte IVLIO CAESARE, Galli, in locis deſertis, de bello *nocturna concilia* habebant *n*).

Coniunctio igitur plurium, *tempore nocturno*, ciuitatem cenſetur iuſtis timoribus et ſuſpicionibus implere. Sed redeo ad priuatos et delicta ſingulorum. Nimirum, facilius ſuſpicamur, illum rei illicitae operam dediſſe, qui *noctu* aliquid molitus eſt, quam qui rem *palam* et *interdiu* adminiſtrauit. Imperatores adulterii ſuſpicione onerari cenſuerunt vxorem, quae, marito ignorante et inuito, ſine iuſta et probabili cauſſa, *foris pernoctauerit*, illamque iuſte repudiari poſſe iudicarunt. *L. 8. ſſ. 3. C. de repud.* *Meretrices nonariae* a PERSIO *o*) dictae, quia poſt horam nonam *noctis* proſtare et adulteris ſe offerre ſolitae, libidinis et quaeſtus cauſſa. Ex quo apparet, non immerito in ſuſpicionem vocatas eſſe faeminas, quae *noctu*, tempore et loco crimini accommodato, abſque vllo comite, obambularent. Inprimis autem, vt ſupra obſeruauimus, quae *noctu*, in fundo alieno, facta ſunt, vt ſi quis *iuerit* per fundum meum, venatusque fuerit, *clam* facta eſſe iudicantur *L. 22. ſſ. 3. D. quod vi aut clam.* Non attingam *directarios p*), qui *noctu*, furandi cauſſa, in aedes alienas aut coenacula ſe dirigunt,

f) GRAVINAE *orig. Iur. civ. tab. IX. p. 471.* PARDVLPHI PRATEII *Iurisprud. vet. XII. tab. L. 19 apud* OTTON. *T. IV. p. 464.* *g*) LIV. *lib. 39. c. 14. in fin.* *h*) PAVLL. *recept. ſent. lib. 5. tit 23* §. 9. *i*) L. ANN. SENEC. *de prouid. c. 5.* *k*) CAR. HANNIBAL FABROTTVS *ad Tit. Cod. Theod. de Pagan. ad L. c. apud* OTTON. *T. III. p. 1113.* *l*) C. PLIN. *lib. 10. epiſt 97.* *m*) MIN. FELIX *in* OCTAVIO. *c. 9* §. 5. *n*) CAES. *de bell. gall. lib. V. c. 53* § 4. *o*) PERS. *Sat. 1. v. 133.* *p*) SCIP. GENTIL. *Orig. ad Pand. lib. ſing. voc. directorii apud* OTTON. *T. IV. p. 1372.*

rigunt, quos VLPIANVS fere magis, quam fures, puniendos eſſe, certe iniuriarum et interdicto, *quod vi aut clam*, teneri, cenſuit. *L. 7. D. de extraord. crim. L. 21. §. 7. D. de furt.*

Egimus de *ſuſpicionibus*, in quas illi adducuntur, qui rem inſolitam *noctu* adminiſtrant. Sed attinet monere, multo magis illos, qui vere *noctu* deliquerunt, et de crimine *nocturno* conuicti ſunt, odioſos eſſe, et quia, peſſimo exemplo, peccauerunt, multo grauius, propter *nocturna* maleficia, puniri. Nota eſt ſeueritas veterum, qua in fures *nocturnos* vtebantur q). Effractores *nocturnos* PAVLLVS grauiore poena dignos cenſet, quam qui *interdiu* hoc crimen admiſerunt. *L. 2. D. de effractor* r). Non diſſimile conſilium ſecutus eſt VLPIANVS, dum furem, qui *noctu* ſegetem ſecuit, ab illo, qui *luce* et *interdiu* hoc auſus eſt, diſtinxit. Videtur Iureconſultus cogitaſſe de lege veteri decemuirali, qua ille, qui fruges aratro quaeſitas *noctu* ſubtraxerit, CERERI ſuſpendi iubebatur s). T. CALPVRNIVS SICVLVS habet *mopſum nocturnum*, quem TITYRVS, in medio ouili, poſt *nocturna* maleficia, ſuſpendit t). Idem diſcrimen furti *nocturni diurnique* CAROLVS V. in legibus criminalibus admiſit; ideoque eum, qui ſegetem alienam *noctu* ſecuerit: Wer bey nächtlicher Weiſe jemanden ſeine Früchte, oder, auf dem Felde, ſeine Nutzung, wie das alles Namen hat, heimlich und gefährlicher Weiſe nimmt, und die hinwegträgt, oder führet, itemque illum, qui arbores alienas *noctu* furtim caeciderit, non ſimplici furti poena, ſed grauiore, propter exemplum, coërceri iuſſit. Wo einer zu ungewöhnlicher oder verbothener Zeit, als bey der Nacht, oder Feyertagen, einem andern ſein Holz gefährlicher und diebiſcher Weiſe abhauet, der iſt nach Rath noch härter zu ſtrafen. Ord. Crim. Carol. Art. 167. et Art. 168. u).

Oblitus eram ferme ALEXANDRI, qui, marito ignoſcendum eſſe, ait, ſi *adulterum nocturnum*, quamuis ſine legis auctoritate, doloris incontinentia, occidit. Ipſa enim *nox*, inquit, et dolor iuſtus eius poenam releuat, cum non ſit parcendum illi, qui, *noctu*, diuina et humana omnia perturbet. *L. 4. C. ad L. Iul. de adult.*

De-

q) *vid. L. XII. tab. apud* GRAVINAM *tab. 2. p. 464.* CONSTANTII LANDII *Exercit. libell. apud* OTTON. *T. III. p. 1409.* r) BRVNNEM. *ad L. c. in Comment. ad Pandect.* s) GRAVINA *tab. 7. p. 649.* THEOD. MARCILII *Interpret. Leg. XII. tab. c. 56. p. 274. c. 59. p. 279. et c. 61. p. 281. apud* OTTON. *T. IV.* PLINII *Hiſt. Nat. l. 18. c. 3.* RADVLPH. FORNERII *Rerum quotidian. l. 4. c. 26. apud* OTTON. *T. II. p. 250.* t) T. CALPVRN. SICVL. *ad* NEMES. *in Buc. III. v. 73. inter ſcript. rei venat. p. 481.*

Vt mala nocturni *religauit brachia* mopſi
Tityrus, *et medio furem ſuſpendit ouili.*

u) *Idem diſcrimen Saxonibus placuiſſe intelligitur.* 2. LdR. *Art. 28.*

Deſeram hunc locum, ſi adiecero, quod ne quidem *venationibus nocturnis* leges noſtrae faueant, quia moleſtum eſt, feris maioribus, *noctis* tempore, cum tumultu, bellum inferri. Es ſollen auf hoch Wild, Schweine und Rehe, keine Nacht-Jagden geſchehen x). Immo vero ruſticis ne quidem in aruis aut pratis propriis licet, *noctu* retia alaudis tendere, ne ceteris feris minoribus, per hanc occaſionem, noceatur y).

§. IV.

Quaedam ſeruitutes temporis intermiſſionem habent. Nocturnae ſeruitutes odioſae.

Ex his, quae adhuc diſputata ſunt, ſatis credo, intelligitur, *odioſa* et *ſuſpecta* eſſe negotia *nocturna*, quibus *quies* hominum et rerum, peſſimo exemplo, interpellatur. Sed omnium maxime intolerabiles videntur *nocturnae ſeruitutes*. Cum enim *interdiu* ſatis graue ſit domino, ferre ſeruitutem, qua libertas dominii, et ius diſponendi, quodammodo interuertitur; Quis patiatur, vicinum, aut alium quemcunque, fundo ſeruiente *noctu* ita vti, vt dominus, ne in *tenebris* quidem, pace et quiete frui poſſit. PAVLLVS quidem admittit *nocturnas ſeruitutes*, inprimis aquae *noctu* ducendae, ſed ita demum, ſi dominus praedii ſeruientis nihil incommodi ſentiat, quamuis aqua *noctu*, per eius praedium, ducatur. *L. 10. §. 1. D. quemadmod. ſeruit. amitt.* Certe, ſeruitutes pleraeque praediorum *vrbanorum continuae* ſunt, et quia in ſuperficie conſiſtunt, per dies et *noctes* exercentur, et ſemper facto quodam videntur poſſideri. *L. 20. pr. D. de ſeru. praed. vrb.* z). Sed *ruſticae*, ſi factum hominis deſiderant, omnesque illae, quae in *perſonae* vtilitatem conſtitutae ſunt, *temporis intermiſſionem* habent, et *modum* recipiunt, quo minus moleſtae ſint domino fundi ſeruientis. *L. 1. §. 3. De aqua quotid.* Neque enim proficit, quibusdam ſeruitutibus ſemper vti, cum certis tantum *temporibus* vtilitatem pariant. *L. 1. §. 3. pr. eod.* Hae igitur, horis vel *nocturnis* vel *diurnis*, vt cuiusque vtilitas ſuaſerit, concedi poſſunt. *L. 2. D. eod.* Potentiſſimus Legislator Saxoniae commemorat ſeruitutes ruſticas, quae non ſemper, ſed, vel diuerſis duntaxat annis, vel temporibus, exerceri poſſunt, et vna tamen praeſcriptione amittuntur a). Inprimis aqua poteſt menſuris et *temporibus* diuidi, vt a pluribus, per interualla temporum, duci poſſit. *L. 5. pr. D. eod.* Quod non eſt nouum, cum pleraque iura, quae a *perſonis* exercentur, vt vſusfructus atque ſimilia, etiam officio iudicis, per *tempora* diuerſa, recte diui-

x) General-Beſtallung vor die Forſt-Bedienten de an. 1575. in Cod. Aug. Tom. II. p. 520. y) *Reſol. Grau. de anno 1603. n. 6. in Cod. Aug. Tom. I. p. 164. et Reſ. Grau. de anno 1612. tit.* von Renth-Sachen, *§. 30. in Cod. Aug. Tom. I. pag. 190.* z) LVDOVIC. VITALIS *Lection. var. Lib. II. c. 13. apud* OTTON. *Tom. II. p. 675.* a) *Dec. El. nouiſſ. 3. de anno 1746.*

uidantur. *L. 7. ſ. 10. D. commun. diuid. L. 19. ſ. 4. eod.* b). Non incommode PAVLLVS monet, inprimis *iter* et *viam*, quamuis vtraque ſeruitute non perpetuo vtamur, tamen non eſſe multiplicem ſeruitutem, ſed vnam duntaxat, quae, natura ſua, *temporis* habeat *intermiſſionem. L. 13. D. de vſu et vſufr. legat.* Ex hoc fonte deriuatur, quod IVLIANVS ait, *iter* ſic poſſe conſtitui, vt quis *interdiu* duntaxat eat, *noctu* excludatur, *L. 14. D. commun. praed. tam vrb.* c). Enim vero, quamuis iura et ſeruitutes animo duntaxat concipi poſſint, et *partes diſcretas* non habeant, *L. 2. ſ. 1. D. de verb. oblig.* placuit tamen, *modum* ſeruitutibus recte adiici, ne nimis domino moleſtae ſint. Quapropter *interualla temporum* efficaciter ſeruitutibus adiiciuntur, cum haec ad *modum* pertineant, intra quem ſe ille continere debet, qui ſeruitute vtitur. *L. 4. ſ. 1. et 2. D. de ſeru. L. 5. ſ. 1. D. eod.*

Poteſt igitur ſeruitus ita concedi, vt quis illa, *noctu* tantum, vel *interdiu*, vtatur. Sed expediendum eſt, quam interpretationem ſequi debeamus, ſi ſeruitus poſſit *temporibus diuidi*, et incertum ſit, vtrum *interdiu* duntaxat, an *noctu* etiam, ſeruitus conceſſa videatur. Certius eſt, niſi, aliud actum eſſe, appareat, ſeruitutes, quae factum hominis deſiderant, maxime in praediis vrbanis, *noctu non concedi*, ſed *interdiu* duntaxat d). Cum enim ſupra iam comprobauerimus, quae incommoda, cum *nocturnis* negotiis coniuncta ſint, quam facile *nox* ipſa ac *tenebrae* leuioribus animis perſuadeant, vt ab officio diſcedant, denique, quam neceſſarium ſit, *noctem*, quieti deſtinatam, ſine curis et periculo, tranſigi; non poteſt eſſe obſcurum, vix credi poſſe, quod dominus *voluerit* concedere alteri vſum ſeruitutis *nocturnae*. Eleganter VLPIANVS obſeruauit, ex *propoſito* paciſcentium, et *natura* loci, iudicandum eſſe, vtrum *perpetua* ſit ſeruitus, an temporum *interuallis* ſit *diſcreta*. *L. 1. ſ. 3. D. de aqu. quotid.* Sed nemo ſibi perſuadebit, dominum, hoc *propoſito*, conceſſiſſe ſeruitutem, vt, *quietem nocturnam* interpellari, furtis et facinoribus occaſionem dari, ſibi et ſuis ſecuritatem eripi, voluerit, cum haec omnia timeri poſſint, ex vſu *nocturno* ſeruitutum. Abſciſſe PAVLLVS docet, ſeruitutes, quae *magnum incommodum* afferunt, non praeſtandas eſſe, niſi luculenter, de his quoque actum eſſe, appareat. *L. 1. ſ. 4. D. ſi vſusfruct. petat.* Apertius paullo CELSVS docet, quaedam, in ſermone et conſtitutione ſeruitutis, *tacite* excepta eſſe, ne quis ita vtatur ſeruitute, vt fundi ſeruientis domino in-

b) LVDOV. VITALIS *Lection. variar. Lib. 2. c. 1. et c. 3. apud* OTTON. *T. II. p. 657. ſeqq.* PETRI GRANGIANI *Paradoxa Iur. Ciu. cap. 7. pag. 621. et cap. 71. p. 653. apud* OTTON. *T. V.* c) EDMVNDI MERILLI *ad tit. Dig. de Seruit. Comment. apud* OTTON. *T. III. p. 637. ſeq.* d) BARTH. CAEPOLLA *de Seruitut. c. 38. ſ. 1. p. 81.*

intolerabilis ſit ſeruitus, ſed vt *ciuiliter* ius ſuum exerceat. Igitur nec *via*, inquit, conceſſa per mediam villam, aut vineas, ſed per illa loca dirigenda eſt, in quibus quam minime praedio ſeruienti noceatur. *L. 9. D. de ſeru.* e). Multo magis igitur, *tempus inopportunum*, videbitur, tacite exceptum, ne quis tunc ire, agere, vehi, audeat, cum homines et omnia animalia quieſcunt. Optime IAVOLENVS docet, quamuis generaliter itineris aut viae ſeruitus conſtituta ſit, tamen itineris et viae ſeruitutem per arbitros determinandam, vt certo ſpatio duntaxat includatur, quam minimo fundi ſeruientis detrimento. *L. 13. ſ. 1. et 2. D. de ſeru. praed. ruſt.* Quapropter merito dicemus, etiam *temporis interuallum*, ab arbitro, definiendum eſſe, ne quis via, aut itinere, *inciuiliter*, per praedium vrbanum, *noctis* tempore, vtatur. Quippe, nec *fructuario* licebit, conditionem proprietatis deteriorem, aut prorſus inutilem facere. *L. 13. ſ. 4. D. de vſufruct. et quemadm.* Neque *vſuarius* fundo vti poteſt, niſi hac lege, ne *domino moleſtus*, aut aliis, qui in fundo opus faciunt, impedimento ſit, et ne pereat tota vtilitas proprietatis. *L. 11. D. de vſu et habit.* Quapropter expeditum eſt, etiam itinere et via, in praediis vrbanis, *noctu*, non vtendum eſſe, ne dominus et inhabitantes, *noctis* tempore, intolerabili moleſtia afficiantur.

Sed faciamus, *domino* nocere poſſe facilitatem ſuam, ſi non clarius locutus eſt, neque excepit *vſum nocturnum* ſeruitutis. Certe tamen, *vicinorum* voluntas fuiſſet exquirenda, quibus noceri poſſet, ſi quis *noctu* ſeruitutibus ruſticis aut perſonalibus vti vellet. Eleganter VLPIANVS hoc obſeruat, non ſolum *dominum* loci, ſed etiam *illos* audiendos eſſe, quorum ius imminuitur, ſi ſeruitus alteri conſtituatur. *L 8 D. de aqua et aqu. pluu.* Omnium autem *vicinorum* intereſt, ne noctu tumultus fiant, ne quies ſomni perturbetur, ne, foribus apertis, furtorum et latrociniorum licentia omnibus periculum adferat, denique, vt metus incendiorum, quae *noctu* a tranſeuntibus fieri poſſunt, communi diligentia, prohibeatur.

Opinor, ſatis comprobatum eſſe *odium nocturnae ſeruitutis.* Sed nondum te poſſum dimittere, priusquam admoneam, ſeruitutes dubias, ex *conſuetudine* locorum et *moribus*, interpretationem recipere, et cauendum eſſe, ne quid *inſoliti* conceſſum videatur. Hoc enim *Imperatores L. 6. et L. 7. C. de. ſeruit. et aqu.* praeceperunt. Sed plerique homines, hac *conſuetudine*, reguntur, vt *interdiu* opus faciant, *noctu* conquieſcant. Inprimis *ire*, *agere* et *vehi*, ſecundum LABEONEM, *diurnus* labor eſt, cum *noctu*, non

e) LVDOV. CHARONDAE πειθανων, *ſeu Veriſimilium lib. 1. c. 5. n. 1. et n. 3. apud* OTTON. *T. I. p. 623.*

non niſi perraro, et quibusdam duntaxat in locis, *ire* ſoleamus. Quae res effecit, vt quidam Interpretes, Edictum *de effuſis et deiectis* duntaxat locum habere, crediderint, ſi *interdiu* deiectum ſit, non ſi *noctu*, cum *inſolita* ſint itinera *nocturna*. *L. 6. §. 1. D. de his qui effud. vel deiec.* f) CATVLLVS excipit conditionem morientium, qui eunt

— — *per* iter *tenebricoſum*

Illuc, vnde negant redire quemquam g).

Extra hunc caſum itineris luctuoſi et poſtremi, BARTOLVS, inter leuia delicta referendum eſſe, iudicat, ſi quis *noctu* eat, praeter improuiſam aliquam neceſſitatem h). DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, eum culpa non vacare, cenſent, qui non per *rectam* et *ordinariam viam* iter dirigat, ſed, tempore, aut loco *inſolito*, incedat. *L. 3. C. de naut. foen.* Itaque, qui *iter* vel *viam* per praedium ſuum alteri conceſſit, non facile cenſebitur, de viae aut itineris *vſu nocturno* cogitaſſe. Ceterum, ſi ſtercus euehendum, et cloaca fuerit purganda, vel tempore peſtis elatio i) funeris permiſſa, res ipſa loquitur, haec talia, quae cum *foetore* fiunt, et hominum oculis inuiſa ſunt, magis tempori *nocturno* conuenire. *L. 22. §. 3. D. quod vi aut clam* k).

§. V.

Iter, tranſitus et via per praedia aliena, maxime per vrbana, ſtrictiſſimam interpretationem poſtulant. Quilibet aditum aedium ſuarum noctu occludere debet.

Oſtendimus, ſeruitutem conſtitutam, ſi dubia ſit eius interpretatio, *interdiu* duntaxat, non facile *noctis* tempore, deberi; Cum vix credi poſſit, dominum alteri rem, et ſibi et vicinis moleſtiſſimam, et plenam periculi, omnino conceſſiſſe. Sed, magis probabilis eſt coniectura, tacite tempus *noctis* excepiſſe dominum, ſi *tranſitus*, per praedium vrbanum, ſit conſtitutus. Haec enim ſeruitus efficit, vt fere inutilis ſit proprietas domus et aedificii, quod poſſidemus. Nimirum, vrbana praedia, hoc conſilio, acquirimus, vt ipſi habeamus ſedem et perfugium l), in quod nos recipere, in quo ſecuri conquieſcere, et res noſtras cuſtodire, aut a furum et latronum maleficiis defendere poſſimus. Plerique certe, ſi GAIVM audiamus, putauerunt, neminem de domo ſua extrahi, aut in ius vocari poſſe, ſed vim fieri domino, ſi tutiſſimum illud receptaculum deſerre cogatur. *L. 18. et L. 21. D. de in ius voc.* Quid enim nobis tutum relinquitur, ſi *domi* etiam quotidie periculum aliquod extimeſcere debemus. Semper autem imminet periculum, ſi alii libere, et *noctis* etiam tempore, per aedes noſtras, commea-

re

f) BRVNNEM. *ad L. c. in Comment. ad Digeſt.* g) CATVLL. *Epigr. 3. v. 10.* h) BARTOLVS *ad L. 6. D. de accuſ.* RIPA *de noct. temp. c. 7. p. 66.* i) RADVLPH. FORNERII *Rer. quotid. lib. 6. c. 13. apud* OTTON. *T. II. p. 293.* k) SCIP. GENTILIS *Orig. ad Pand. lib. ſing. apud* OTTON. *T. IV. pag. 139.* STRYK. *de Iur. ſenſuum, diſſ. V. c. 2. §. 29.* l) CIC. *in Cat. Orat. 4. c. 2.*

re poſſint, quorum maleficiis reſiſtere prorſus nequeamus. Hinc *odioſiſſimae* ſunt ſeruitutes, itineris, tranſitus, aut viae, per fundum alienum, quarum vſus *quietem* domeſticam perturbat. *Ruſticorum* praediorum, vt agrorum, pratorum, haec eſt commoditas, quod aperta ſint et raro occludantur. Hinc plerumque, iter, actus, via, teſte VLPIANO, ſunt ſeruitutes praediorum *ruſticorum*, quia haec per ſe patent, et, ſine magno domini incommodo, adiri poſſunt. *L. 1. D. de ſeru. praed. ruſt.* Quare dicendum eſt, a regula diſcedi, ſi hae ſeruitutes ruſticae, in praediis *vrbanis*, et per aedes alienas, concedantur. *Veteres* certe, non niſi in ſumma neceſſitate, et ſi vicino, ſine iure *tranſitus*, aut viae, fundus plane inutilis futurus eſſet, *iter* et *aditum*, per aedes ſuas conceſſerunt. *L. 15. §. 1. D. de Vſu et vſufr. leg. L. 20. pr. D. ſi ſeru. vind.* Hanc difficultatem, cum praeuiderent Romani, plerumque *ius tranſeundi*, per domum, magis *perſonae*, quae praedium vicinum poſſidebat, quam ipſi *praedio* vicino, et omnibus ſucceſſoribus, magisque ex *affectu* ſingulari, et fiducia *perſonae*, dederunt, quam hoc animo, vt fundus, perpetua moleſtiſſimaque ſeruitute, oneretur. *L. 6. D. de ſeru. leg. L. 4. D. de ſeru. praed. ruſt. L 37. eod.* *Iter* enim et *tranſitus* interdum *ſeruitutis perſonalis* rationem habent, aut *mixtae* ſunt naturae, vt *perſonae* duntaxat, cuius modeſtiae et honeſtati confidimus, vel ſimpliciter, vel quamdiu illa fundum vicinum poſſidet, *ius tranſeundi* conceſſiſſe videamur. *d. l. 37. de Seru. praed. ruſt et L 6 D. de ſeru. leg.* Hoc etiam in *ſeruo* alieno receptum eſt, vt, ſi huic *ius tranſeundi* promiſerimus, ipſi ſeruo, quaſi *perſonae*, non etiam domino eius, facultas tranſeundi acquiratur. *§. 2 I. de Stipul. ſeru.*

Vides, qua cautione vſi ſint *Romani*, ſi de *tranſitu*, per aedes ſuas, ageretur. Immo vero, ſi *perſonae* tantum tranſitus promiſſus, vix receptum eſt, vt haec *perſona*, etiam cum aliis coniunctis, tranſire poſſet. Diu enim diſputatum, an pater, ſi *filiae* tranſitum, per aedes ſuas, legauit, etiam *marito* eius, vt cum vxore ſua tranſeat, facultatem dediſſe, videatur. *L. 6. D. de ſeru. leg. L. 4. §. 1. D. de Vſu et habit.*

Apparet igitur, pleroſque dominos auerſari *tranſitum* vicinorum, per aedes ſuas, niſi *affectu perſonae* adducantur, vt rem moleſtiſſimam permittant. Quis igitur credat, dominum, ſi vel conceſſerit tranſitum, ita ſui oblitum eſſe, vt conſenſerit etiam in *nocturnum* vſum ſeruitutis, quo conceſſo praeuidere potuit, rem, per ſe duram, ſibi intolerabilem futuram.

Finge autem, dominum tam ſocordem fuiſſe, vt ne cogitaret quidem de incredibili moleſtia, ſed liberaliter alteri concederet tranſitum *nocturnum*; nihilominus opinor, *inutilem* eſſe hanc ſeruitutem, ita conſtitutam, vt *noctu* tranſire liceat per aedes alienas. IVLIANVS enim, *neceſſarium* eſſe, ait, vt in praediis vrbanis, iter et tranſitus, *interdiu* duntaxat, conceda-

cedatur. *L. 14. D. com. praed. tam vrb.* Non dubito, quin IVLIANVS de *neceſſitate legis prohibitiuae* ſenſerit, moribusque et legibus prohibitum eſſe *tranſitum nocturnum*, iudicauerit, per aedes alienas. Quae enim pluribus nocere poſſunt, et communem ciuitatis ſecuritatem perturbant, aut omnes in periculum adducunt, legibus et moribus *interdicta* eſſe iudicantur. Quamuis igitur dominus conſenſerit, *vicini* tamen habebunt, cur illis, qui *noctu*, per aedes alienas, tranſeunt, reſiſtant. *L. 8. et. L. 10. pr. D. de aqu. et aqu. pluu.* m). Praeterea *magiſtratus* intercedet, ne aedes cuiusquam *noctu* pateant, cum publice interſit, fores aedium occludi, ne furibus, aut latronibus, aut incendiariis, aut hoſtibus etiam, acceſſus detur, cum magno periculo vicinorum atque ciuitatis.

Saxonibus quidem, ab antiquiſſimis temporibus, placuit, vt quilibet diligenter poſſeſſiones ſuas *muniret* et *obfirmaret*, ne ipſe poſſeſſor in periculum incurrat, et ne vicino noceatur. Es ſoll ein jeder ſeinen Theil des Hofes **vermachen**, und wer das nicht thut, und es entſtehet Schaden daraus, der ſoll ihn erſetzen. Man bleibt es auch ohne Wandel, wenn ihm Schaden geſchiehet. 2 LdR. 49. Quae cum ita ſint, nihil agit dominus, qui, contra legem *prohibentem*, alteri promittit, ſe fores aut ianuam aedium non occluſurum, ſed permiſſurum, vt alter tranſitu *nocturno* per illas vti poſſit. *Aurigas* quidem etiam alia cauſſa prohibet, ne via *compendiaria*, per aedes alienas, temere vtantur. His enim, lege publica, neceſſitas impoſita eſt, vt *via regia* incedant, ne fraus fiat vectigalibus, quae in *viis regiis* et conſuetis exiguntur. Es ſollen alle Fuhrleute, die ihnen **ordentlich** angewieſene **Straſſen** und Wege halten, und die an ſolchen befindlichen Zoll- und Geleits-Stätte, durch Suchung verbotener **Schleif-Wege**, nicht vorbey gehen n). Vix operae pretium eſt attingi, aurigis etiam praeceptum eſſe ne iter *noctu* faciant, cum tumultu, neue illis, qui vectigalia recipiunt, inſolito tempore moleſti ſint, ſed, vt *interdiu*, modeſte, per oppida et villas, proficiſcantur. Daß alle Land- und Lohn Kutſcher, auch Fuhrleute, ſich zu rechter Zeit, und auſſer dem Nothfall, nicht zur **Nacht**, auch nüchtern, wie ſichs gebühret, anmelden o).

Extremo obſeruandum eſt, ſeueriſſima lege, in *Saxonia*, cautum eſſe, ne furibus, aut nefariis hominibus, *hoſpitium* a quoquam praebeatur, ſed vt

m) LVDOV. VITALIS *Lection. variar. lib. 2. c. 7. apud* OTTON. *T. II. p. 667. ſeq.* n) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. verbeſſerte Gleits-Tafel *de anno 1718. §. 19. in Cod. Aug. T. II. p. 1157.* ZIEGLER *de Iur. Mai. lib. 2. c. 10. §. 5. p. 1015. ſeq. et c. 17. §. 11. p. 1104.* SCHRAM. *de ſtatuis Mercurial. c. 2. §. 21. p. 96. ſeq. et in Append. No. XX. p. 279. ſeq.* o) Patent *de anno 1722.* die Abſtellung des unziemlichen Angebens in Gleiten bey Nacht-Zeit, *in Cod. Aug. T. II. p. 1161.*

vt ipſis acceſſus et receptacula prorſus praecludantur *p*). Interdum *ſuſpicionem* ſocietatis cum furibus illi contrahunt, qui promiſcue aliis, *noctu* inprimis, *aditum* concedunt, in quam ſuſpicionem, ne quis incidat, fores aedium ſuarum, *noctu*, occludere iubetur. *A. L. 1. ſſ. 1. D. naut. caup.*

Forte ais, periculum hoc euitari poſſe, ſi quis aedes claudat quidem, ſed *clauem* tradat aurigae tranſituro, aut *cuſtodem* alat, qui fores aperiat deſideranti tranſitum, et poſtea illas denuo occludat, aut ſi ipſe ſurgat dominus, pulſatis foribus. Enim vero, *primo*, inconſulta eſt clauium traditio, cum claues, vel dolo, vel culpa accipientis, poſſent in alienas manus incidere, aut imitatione, atque artificio fabrorum, cum aliis communicari, quo facto, ſecuritas domini periclitaretur. *Secundo*, ſi quis *cuſtodem* alere cogatur, haec res non ſolum impendium et ſumtum deſiderat, ſed ne quidem ſatis tuta eſt, propter dubiam excubitorum fidem. Minus periculi timendum eſt, ſi quis fores repagulis *obfirmet*, quam ſi, diligentiae vigilum, ſe ſuaque omnia committat. Vt vero *tertio*, ipſe *dominus ſurgat*, et ianuam aperiat, foribus pulſatis, inhumanum eſt, tempore *nocturno*, poſtulare. Videlicet, *factum* aliquod deſiderat auriga, qui *noctu* tranſitum a domino aedium exigit. Sed ſeruitutum non ea eſt *natura*, vt quis aliquid *faciat*, ſed vt aliquid patiatur, aut non *faciat L. 15. ſſ. 1. D. de ſeruit.* Quamuis igitur ſeruitutem viae aut tranſitus impetraueris, fruſtra tamen pulſabis fores, et *noctu* a vicino poſtulabis, vt ſurgat aut fores aperiat; cum Iure Ciuili, domino fundi ſeruientis, ſola patientia, non *faciendi* neceſſitas imponatur *q*).

§. VI.

Ne poſſideri quidem poteſt ius tranſitus nocturni per aedes alienas.

Accepiſti, cur *neceſſarium* ſit, per aedes et praedia vrbana, tranſitum duntaxat *interdiu* concedi, *noctu* interdici. Sed in ſpecie, quam §pho II. propoſuimus, auriga *ius poſſeſſionis* domino obiiciebat, quia, ſaepius ſe *noctu* tranſiiſſe, cauſſabatur. Quapropter diſpiciendum eſt, an *poſſideri* poſſit ius tranſitus *nocturni*, per aedes alienas. Certius eſt, *iura*, quae cum periculo communi coniuncta ſunt, et ſecuritatem publicam perturbant, quaſi *illicita* et *prohibita*, ne quidem *poſſideri* poſſe. Recte obſeruat PAVLLVS, ſi quis, contempta religione, aut lege, aliquid, quod occupare non debuerat, teneat, illum rem eam non *poſſidere* poſſe. *L. 30. ſſ. 1. D. de acqu. vel amitt. poſſeſſ.* Nemo enim defenditur in *poſſeſſione* rei illicitae, cum potius augeatur poena, ſi quis frequentius et ſaepius deliquerit. Praeterea, qui, iure familiaritatis, ſeruitute quadam vſus eſt, illam *poſſidere* non videtur.

L.

p) *vid. Mand. de anno 1753.* wegen Aufſuch- und Entdeckung des Diebs- und Räuber-Geſindels. *q*) STRYK *Spec. Vſ. Mod. Pand. lib. VIII. Tit. 1. § 3* GERARD. NOODT *Comment in lib. VIII. Tit. 4. Digeſt. T. II. Oper. p. 222. ſeq.*

L 41. eod. Sed ſupra comprobauimus, patrem familias, qui ſemel atque iterum alteri tranſitum conceſſit, illud, non hoc animo, permiſiſſe, vt fundum, periculoſa ſeruitute, oneraret. Generaliter potius conſtitutum eſt, vt dominus, ſi praeuideat, alium ingreſſurum eſſe in fundum ſuum, quamuis aliquoties hoc permiſerit, tamen prohibere poſſit, ne quis, ſe inuito, in praedium ingrediatur. *ſ 12. I. de rer. diu.* Quapropter in *poſſeſſorio ordinario* victoriam vix ſperare poterit auriga, qui *tranſitum nocturnum* poſtulat.

§ VII.

Magiſtri poſtarum perpetuas fere excubias agunt. Curſoribus publicis viae extraordinariae noctu aperiuntur. Ius aperturae propriis formulis regitur.

Tradidimus, *odioſa* eſſe *nocturna* negotia, et *fauorem* maximum *quietis*. Sed, excipere debemus *magiſtros poſtarum*, ſeu *curſorum publicorum praefectos*, qui ſemper fere, etiam *noctu*, excubare et vigilias agere iubentur, huiusque incommodi cauſſa, excubiis et aliis ciuium oneribus immunes ſunt. Dieweil die Poſtmeiſter ſtets in expeditionibus ſtehen, und ſowohl die ordinair, als extraordinair-Poſten, und Staffetten, continuirlich abwarten, und zu ſchleuniger Fortſchaffung dererſelben Anſtalt machen müſſen: So ſollen ſie von oneribus perſonalibus, Einquartirung und dergleichen, beſonders der Verrichtung der Wache unter denen Thoren, befreyet ſeyn ꝛc. r). Cum igitur publice interſit, curſoribus publicis et proficiſcentibus nihil impedimento eſſe, *praefecti* poſtarum, *noctu* etiam, parati eſſe debent, neque expectare, vt, inflatione corniculi, excitentur, ne qua mora feſtinantibus iniiciatur, dum oculis ſomnum excutiunt, noctu excitati. Damit ſie nicht zur Nachtzeit durch das Poſthorn erſt ermuntert werden müſſen s). Hi igitur, non ſolum curſores publicos, *noctis* tempore, acceſſu non arcere, ſed venientibus etiam equos et alia profectionis inſtrumenta ſubminiſtrare debent, poena, propter quartam partem horulae neglectam, conſtituta. Sie müſſen bey Nächtlicher-Weile vor jede unnöthig verabſäumte Viertel-Stunde einen halben Gülden Strafe geben t).

Habes igitur *hoſpites*, qui *noctu* coguntur parati eſſe, clauſtra et fores aperire, propter itinerum commoditatem. Sed eadem vtilitas Legiſlatoribus perſuaſit, vt ipſis etiam curſoribus publicis darent facultatem, per *vias extraordinarias* et *clauſas* commeandi, repagula obſtructa clauibus aperiendi, aut remouendi, quae tamen poſtea ab ipſis denuo occludenda ſunt, foſſas implendi, ſepes et impedimenta deiiciendi, ne quid obſtet ſuae feſtinationi. Es ſoll allen ordinairen und extraordinairen Poſten erlaubet ſeyn, ſich aller reſeruirten Fürſten, Herren-Neben-Schleif- und Feld-Wege zu gebrau-

r) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. *Decret, de anno 1711. in Cod. Aug. T. II. p. 1041.* s) Poſt-Ordnung *de anno 1713. §. 23. in Cod. Aug. T. II. p. 1047. ſeq.* t) *ibid. §. 52. n. 18. p. 1067.*

brauchen: Dahero denen Poſtilionen, wenn jezt benannte Wege verſchloſſen, oder mit Schlag-Bäumen verwahret, zugelaſſen, zu dem Ende gewiſſe Schlüſſel zu haben, doch daß ſie dieſe wieder verſchlieſſen, und zu ſchädlicher Nachfolge nicht Anlaß geben *u*). Ius etiam pignerandi ademtum eſt priuatis, qui, ſi damnum a curſoribus datum ſit, apud iudicem competentem, de illa re, conqueri debent *x*). Extremo, cuſtodes publici, in ſtatione conſtituti, etiam *portas* curſoribus, inflato corniculo et ſigno dato, *aperire*, et *noctu* tranſitum, per vrbem, concedere coguntur, ſolis fortalitiis exceptis, per quae *noctu*, pontibus iam retractis, curſores tranſuehi non poſſunt. Es ſollen denen Poſten, bey ihrer Ankunft, als ſie ſich durch gewöhnliches Zeichen zu erkennen gegeben, die Thore und Schlag-Bäume an denen Städten, Veſtungen ausgenommen, ohne Säumnis, geöfnet werden *y*). Cogitaueram de Iure aperturae, vom Oefnungs-Rechte, aliquid adiicere, vi cuius alicui alterius caſtellum, fortalitium, ciuitas, quocunque tempore, ſecuritatis, hoſpitii, et tranſitus cauſſa, aperiri debet. Hoc, vel *principi*, iure maieſtatis et territorii, vel *domino directo*, in feudis aperturae, vel *aliis*, iure conuentionis, aut praeſcriptionis, competit, et propriis formulis regitur. Sed, cum hoc argumentum ab aliis *z*) occupatum ſit, et nihil ad Ius Quiritum, aut Edictum Praetoris, pertineat, nolo cramben, tot aliorum manibus attritam, atque maceratam, recoquere.

§. VIII.

Domus Ditis. Domus tribuni plebis noctu et interdiu patebat.

Commemorari a nobis debuiſſet, illa, quae
noctes atque dies patet, *atri* ianua *Ditis a*).

Sed haec inſidioſa eſt, cum *aditu* arceat neminem, omnes reditu intercludat.

Cum bonis potius ominibus finiam, et ſupremo quaſi digito attingam *domum* Tribuni Plebis, quae *interdiu noctu*que cuilibet, indigenti illius auxilio, *patebat*, quaſi *portus* quidam et *praeſidium* periclitantium *b*).

CIX.

u) *ibid.* § 10. *p.* 1051. *x*) *ibid.* §. *eod.* *y*) *ibid.* §. 11. *p.* 1052. SCHWED. *Ius Publ. Part. Spec. ſect. I. c.* 18. § 10. *p.* 541. CRVSIVS *de nocte et nocturn. officiis c.* 5. §. 12. *et* 13. *z*) VITRIARII *Inſtit. Iur. Publ. Lib. III. Tit.* 19. §. 118. *ſeq. T. IV. p.* 78. *ſeq.* FRITSCHIVS *de Iure Aperturae.* BESOLD. *Theſ. Pract. voc* Oefnung *p.* 707. WEHNER *Obſeru. Pract. voc. ead. p.* 383. LIMNAEVS *Lib. IV. Iur. Publ. c.* 8 §. 244 *p.* 234 SCHVVEDER. *Ius Publ. Part. Spec. ſect. II. c* 16 § 6 *p* 988. HORNII *Iurisprud. Feud. c.* 4. §. 30. *p.* 84. ZAVNSCHLIFFER *de Iur. Clauium et Clauſtror. Aphor.* 2. *a*) VIRG. *Aen. lib.* 6. *v.* 127. *b*) DIO. CASS. *lib.* 37. *p.* 53. *et lib.* 51. *p.* 523. *Edit. Henr. Stephan.* MACROB. *Saturn. lib.* 1. *c.* 3. GELL. *Noct. Att. lib.* 3. *c.* 2. *et lib.* 13. *c.* 12. GRAV. *Orig. Iur. Ciu. p.* 37.

CIX.

OBSERVATIONES DE QVASI POSSESSIONE IVRIS PROHIBENDI.

AD L. XI. §. I. D. DE PVBLICIANA IN REM ACTIONE.

VITEMBERGAE, DIE XXVII. AVGVSTI CIↃIↃCCLVI.

I.

Odioſum eſt *ius prohibendi.* Optime M. TVLLIVS, etiam *peregrinos* vſu vrbis *prohibere* inhumanum eſſe, ait. CIC. *de off. lib. 3. c. 11.* Sed multo inhumanius, *dominum tecto*, laribus paternis aut auitis, et vſu rei ſuae *prohiberi. L. 38. D. de rei vind.* CIC. *Orat. in Verrem VIII. c. 24.*

II.

Rerum *incorporalium* proprie nulla eſt *traditio*, neque *propria poſſeſſio. L. 4. ſſ. 27. D. de vſurp. et vſucap.* Eleganter enim LABEO, nullam eſſe, docet, *vacuam iuris* et rerum incorporalium *traditionem. L. 20. D. de ſeruit.* Recte POMPONIVS, ſi iter, inquit, aut viam emero, *nulla eſt vacuae poſſeſſionis traditio. L. 3. ſſ. 2. D. de act. emt. vend.*

III.

Olim igitur, qui concedebat ſeruitutem, *cauere* tenebatur, *per ſe non futurum*, quo minus alter ſeruitute vteretur. *d. l. 20. D. de ſeruit.* et *L. 3. ſſ. 2. D. de act. emt. vend.* Itaque *cautio* ſeruientis fuit certiſſimus modus conſtituendi ſeruitutem.

IV.

Porro res incorporales et ſeruitutes *ceſſione in iure* conſtitutae ſunt, quia *proprie tradi* non potuerunt. VLPIANVS *in fragment. tit. 19. ſſ. 11.* GERARD. NOODT. *T. 1. Oper. de vſufruct. lib. 2. c. 2. p. 449. ſeq.* Vid. De BERG. *Oec. Iur lib. 2. tit. 6. ſſ. 1. n. 3.* Sed, quia ad *ceſſionem in iure* tres perſonae et publica ſolennitas deſiderabantur, VLPIANVS *loc. cit.*

ſſ. 0.

§ 9. circuitus euitandi gratia, inuenta eſt *quaſi traditio* et *quaſi poſſeſſio. L. 10. pr ſi ſeruit. vind. L. 23. §. 2. D. ex quib. cauſſ. maior.*

V.

Quaſi traditio ſeruitutis eſt *patientia* domini praedii ſeruientis, qui poſſeſſori praedii dominantis permittit, vt iure aliquo vtatur, ex cauſſa ſeruitutis, in fundo alieno, quod dominus fundi, extra ſeruitutis cauſſam, *prohibere* potuiſſet. *L. 1. §. 2. D. de ſeru. praed. ruſt. Quaſi poſſeſſionem* nanciſcitur, qui iure illo *vtitur* in praedio alterius, domino non prohibente. *d. l. 1. §. 2. D. de ſeruit praed. ruſt. L. 10. pr. D ſi ſeruit. vind L. 23. §. 2. D. ex quib. cauſſ. maior.* MENOCH. *Remed. de retinend. poſſeſſ. V. §. 32. ſeq. p. 234.*

VI.

Fructus *quaſi traditionis* et *quaſi poſſeſſionis* hic eſt, vt *praetor* illum, qui *iure ſeruitutis*, patiente domino, *vſus* eſt, *tueatur*, quaſi vere *tradita* ſit ſeruitus; quamuis *nulla* ſit *ſeruitutis traditio.* Appoſite VLPIANVS, *traditio*, ait, et *patientia* inducet *officium praetoris. L. 1. §. 2. D. de ſeru. praed. ruſt. L. 11. §. 1. D. de publ. in rem act.* Certe patientia et traditio ſeruitutum ſunt diuerſae voces, quae eadem ſignificatione coniunguntur.

VII.

Seruitutes *negatiuae* conſiſtunt in *iure prohibendi*, cum poſſeſſor praedii dominantis *prohibet* dominum praedii ſeruientis, ne aliquid faciat, quod iure dominii facere, citra cauſſam ſeruitutis, non *prohiberetur. L. 8. C. de ſeruit.*

VIII.

Quamuis *promiſſio* et *conſtitutio* ſeu *acquiſitio* ſeruitutis affirmatiuae inter ſe diſtinguantur; *L. 136. §. 1. D. de Verb. oblig.* tamen in ſeruitutibus *negatiuis* ipſa *conuentio* de ſeruitute conſtituenda continet quaſi *traditionem* et *patientiam* illius, qui ſeruitutem concedit. Hinc ſeruitutes *negatiuae* ſola *conuentione* et promittuntur et quaſi traduntur, vt ſine nouo actu poſſeſſorio acquiſitae cenſeantur. BEYER. *ad Inſtit. Lib. 2. tit. 3. poſ. 22. p. 67.*

IX.

Si ſeruitus negatiua *pure promiſſa* ſit *conuentione*, poſſeſſor praedii dominantis, dum acceptat promiſſionem, confeſtim exercet *ius prohibendi*, et

et *prohibet*, ne alter aliquid faciat. Itaque, ſi conſenſit dominus praedii ſeruientis, ſtatim *patitur* prohibitionem alterius, et hac *patientia* videtur ſeruitutem negatiuam *quaſi tradidiſſe*. STRVV. *Iurisprud. Rom. Germ. for. L. 2. tit. 5. §. 4.*

X.

Seruitutibus etiam *negatiuis* adiici poteſt *conditio*, quae parit doli mali exceptionem. *L. 4 pr. D. de ſeru.* Sed ſi *conditio* adiecta ſit, antequam *conditio* exiſtat, *ius prohibendi* a dominante exerceri nequit. In hac igitur ſpecie *ſeruitutis negatiuae* conditionalis ſola *conuentio* non ſufficit ad *acquiſitionem* iuris realis. Pendente enim conditione, nec ceſſit nec venit dies. Itaque nec actus poſſeſſorius *iuris prohibendi* exerceri poteſt ante euentum conditionis. *L. 213. pr. D. de Verb. ſign.*

XI.

Cum iure *dominii* coniunctum eſt *ius prohibendi*, ne quis priuatus in fundum alienum, inuito domino, ingrediatur. *L. 13. ſſ. fin. D. de iniur. ſſ. 12. I. de rer. diuiſ.*

XII.

Poſſeſſio eſt *facti* et *ſtrictae interpretationis*. *L. 29. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. L. 19. D. ex quib. cauſſ. maior.* Vide HEINECC. *Elem. Iur. Ciu. ſec. Ord. Pandect. P. VI. ſſ. 199.* MEV. *P. II. Dec. 107. n. 9.* GAILL. *Lib. 2. Obſ. 129. n. 4. ſeq.* Hinc qui *ius* aliquod poſitiuum, e. g. ius paſcendi, *poſſidet*, non ideo videtur *quaſi poſſidere ius prohibendi*, ne dominus, in fundo ſuo, aut alius, in eodem praedio, paſcat. Neque enim acquiritur *quaſi poſſeſſio iuris prohibendi*, niſi alter *prohibuerit*, et alter *obtemperauerit prohibitioni. L. 13. ſſ. 1. et. L. 15. D. comm. praed.* De BERGER *Oec. Iur. lib. 2. tit. 3. ſſ. 9. n. 5. p. 309. id. Elect. proc. poſſeſſ. th. 45. p. 151. ſequ.* De WERNHER *ſelect. Obſeru. Forenſ. P. I. Obſ. 87. et in ſupplem. nou. ad obſ. all. p. 106.*

XIII.

Videtur ſibi ipſi contrarius eſſe Nobilis Dominus de BERGER, qui alio loco docet, eum, qui *undiquaque* ius paſcendi exercuit in certo loco, eiusdem *poſſeſſionem* ita praeoccupaſſe, vt habeat *ius prohibendi*, ne alius ibi paſcat. De BERG. *Oec. Iur. Lib. 2. tit. 6. §. 1. n. 4. p. 546.*

XIV.

Certius eſt, etiam illum, qui *ius paſcendi* in aliquo loco *ſolus* exercuit, in *poſſeſſorio ſummariiſſimo* ſuccumbere, ſi alius *prohibere* velit, niſi do-

doceat, quod *aduerſarium* ſuum *prohibuerit* et ille abſtinuerit a iure paſcendi. Ita pronunciauit Curia Prouincialis Vitembergenſis, Termino Viſitationis Mariae, Anno 1754. Daß Klägers auf die *poſſeſſionem momentaneam* gerichtetes Suchen, in Ermangelung eines richtigen *actus prohibitiui*, nicht ſtatt hat. V. R. W. Quae ſententia a Supremo Regimine Aulico, bis reiecta appellatione, confirmata eſt.

CX.

OBSERVATIONES DE EMPTIONE SERVITVTIS.

AD L. LXXX §. I. D. DE CONTRAH. EMPTIONE.

VITEMBERGAE, DIE XXX OCTOBR. CIↃ IↃCCLVI.

Lex LXXX. §. 1. D. de Contrah. Emptione.

LABEO Lib. V. poſterior. a IAVOLENO Epitom.

Huius rei *emptionem* poſſe fieri dixi, quae ex meis aedibus in tuas aedes *proiecta* ſunt, vt ea mihi habere liceat: deque ea re ex *empto* agi.

I.

Etiam *libera capita emunt* ſibi interdum *ſeruitutem*, dum credunt, ſe libertatem inuenire. *L. 70. D. de contrah. empt. §. 4. I. de Iur. perſon.* Ita *equus* ille apud PHAEDRVM

— — — paruae, inquit, vindictam rei
dum quaero demens, ſeruitutem *repperi a).*

Immo vero

— liceat Phrygio ſeruire marito,
dotalesque tuae Tyrios permittere dextrae b).

M 2 Ele-

a) PHAEDR. *Lib. IV. Fab. III. v. 9. 10.* b) VIRG. *Lib. IV. Aen. v. 1*8

Eleganter TACITVS, Britanniam, ait, quotidie *emere* et paſcere *ſeruitutem* ſuam c).

II.

Negotia, in quibus *pecunia* interuenit, quamuis propriam naturam habeant, tamen vel *emptioni*, vel *conductioni* comparantur. *L. 20. et L. 65. D. de contrah. empt. §. 3. I. de Locat. conduct.* Ita maritus vxori vſumfructum fundi *vno nummo* vel *locare* vel *vendere* poteſt. *L. 66. D. de Iure dotium.* Certe, ſi temporaria et ſingularia ſint negotia, magis *conductioni* ſimilia cenſentur. Ita *contractus foenoris*, ſi vſurae ſingulis annis vel menſibus, vi conuentionis, ſoluuntur, *conductio nummorum* appellari ſolet:

omnia conductis coemens *obſonia* nummis d).

Sed, quae in *perpetuum* acquiruntur, *vno pretio* generaliter *conſtituto*, magis *empta* iudicantur. Hac ſignificatione, apud TACITVM e), nata mancipia *ſemel* tantum veneunt, hoc eſt, vno pretio, quod ſemel exſoluendum eſt, *venduntur.*

III.

Operae magis *conducuntur*, quam *emuntur. L. 9. pr. L. 23. pr. L. 25. pr. L. 39. §. 1. D. de Operis libert.* Sed ſi, vno pretio ſoluto, in perpetuum, generaliter acquiſitae ſunt, ius exigendarum operarum magis *emptum* videtur, quam *conductum. L. 13. §. 13. L. 31. §. 1. L. 33. D. de Act. empt. vend.*

IV.

Seruitutes praediorum inter viuos plerumque titulo *onerofo* acquiruntur. *§. 4. I. de Seru. praed.* Saepiſſime titulo *emptionis. L. 34. §. 1. L. 80. §. 1. D. de contrah. empt. L. 3. §. 2. D. de Act. empt. vend. L. 20. D. de Seruit.*

V.

Inprimis *ſeruitutes neceſſariae* officio iudicis conſtituuntur, ſi vicino fundus ſuus ſit inutilis, niſi *ſeruitute* impetrata. *L. 41. pr. D. de Seruit. praed. vrb. L. 15. §. 1. D. de Vſu et vſufr. legat.* Sed, in hac ſpecie, vicinus *emere ſeruitutem* debet, certa pecunia, quae pretii locum obtinet, aut certe annua penſione damnum ſarcire iubetur. *L. 12. pr. D. de Religioſ. L. 44. §. fin. D. de Legat. 1.* de BERG. *Oecon. Iur. Lib. II. Tit. III. §. 5. not. 7.*

VI.

c) TAC. *in Vit.* IVL. AGRICOL. *Cap. XXXI.* d) HORAT. *Lib. I. Serm. II. v. 9.* e) TAC. *in Vit.* IVL. AGRICOL. *Cap. XXXI.*

VI.

Omnis *ſeruitus*, quae inuito imponitur, *compenſanda* eſt. Etiam *naturales ſeruitutes*, cum praedium inferius *ſeruit* ſuperiori, compenſatur pinguitudine ſuccorum, quia ſuperioribus locis ad inferiora defluunt. *L. 1. §. 23. D. de Aqua et aquae pluu. arcend.* Haec commoditas eſt inſtar *pretii* pro *ſeruitute* conſtituti. *d. L. 1. §. 23. D. de Aqua et aquae pluu. arcend.*

VII.

In *diuiſionibus* fundorum iudex alteri poteſt minorem partem aſſignare, ſed hac lege, vt alterius condomini portio *ſeruitute* oneretur ad augendam commoditatem aut vtilitatem vicini. *L. 7. §. 1. D. Comm. diuid. L. 22. §. 1. 2. 3.* et *L. 55. D. Famil. erciſ. §. 5. I. de Offic. Iudic.* Haec *adiudicatio*, per quam *ſeruitus* in iudiciis diuiſoriis conſtituitur, vicem *emptionis* obtinet. Ideoque *ſeruitus* videtur *empta* eſſe, quae per *adiudicationem* acquiſita eſt. *L. 1. Comm. vtr. iud. L. 2. §. 1. et L. 3. D. fin. regund.*

VIII.

Seruitutes quidem ſtrictam interpretationem poſtulat, ſed *plenam* tamen *ſignificationem* habent, vt nihil detractum eſſe cenſeatur naturae communi *ſeruitutis*, niſi quid ſpecialiter *pactione* aut praeſcriptione ſit exceptum. *L. 12. §. 2.* et *L. 22. §. 2. D. de Vſu et Habit. L. 21.* et *L. 33. D. de Contrah. empt.* Hinc dicitur *plenum* ius ſeruitutis, *L. 6. D. de Seruit. legat.* hoc eſt, quod *plenam ſignificationem* habet, *L. 38. §. 4. D. de Vſur.* et *L. 1. §. 3. D. Si vſusfr. pet.*

IX.

Seruitutem, quam pretio *emimus*, *liberalius* interpretamur, propter bonam fidem, qua hic contractus regitur. Itaque omnia *inſtrumenta* et *adminicula*, ſine quibus *ſeruitus exerceri* nequit, ſimul conceſſa eſſe, iudicantur. *L. 47. L. 48. et L. 49. D. de Contrah. empt. L. 48. D. de Act. empt. vend. L. 11. pr. et. §. 1 D. Si vſusfr. pet. L. 11. pr. et §. 1. D. Comm. praed.*

X.

Is, cui aquae hauſtus, ſeu iter per fundum alienum, aquae ex riuo hauriendae cauſſa, conceſſimus, poteſt ripam etiam lapide *munire*, vt facilius poſſit deſcendere, ſi hoc ſine fundi detrimento fiat *L. 11. §. 1. D. Comm. praed. L. 10. D. de Seruit. L. 20. §. 1. D. de Seruit. Praed. Vrb. L. 3. §. 16. D. de Itin. actuque priu.* Ita reſpondit Facult. Iurid. Vitemb. Menſe Sept. Anno 1756.

CXI.

PROGRAMMA DE FOEDERE INAEQVALI.

VITEMBERGAE, DIE XX MARTII CIↃIↃCCLVII.

Amicus ille, apud quem CAIVS PLINIVS SECVNDVS, praeter ſuam conſuetudinem, coenauit, in ipſa coena, conſtituit quosdam *ordines* et *gradus amicorum*, et *opulentioribus* opima quaedam fercula appoſuit, vilia vero et minuta *minoribus* amicis. *Vinum* etiam paruulis lagunculis in tria genera deſcripſit, vt ab *aliis* generoſum, ab *aliis* marcidum aut lene ſumeretur [a]). Sed hic quidem PLINIO non tam lautus et diligens, quam ſordidus ſimul et ſumptuoſus eſſe, et magis ad notam, quam ad coenam, amicos conuocaſſe, viſus eſt. *Ipſe* enim, eadem omnibus apponere, et quos *menſa* ac toro *aequauerat*, rebus omnibus *exaequare* et nullis gradibus *diſcernere*, ſolebat. Vix igitur probaſſet PLINIVS conſilium illud, quod multi teſtatores, in vltimis voluntatibus, ſequuntur. Plerique, ſi bona quaedam diſtribuunt, in *communi* liberalitate, *alios* ex *aliis* partibus heredes ſcribunt, *aliis* legatariis *alia* aſſignant, *quosdam* etiam *ſimpliciter* vel *diſcretis* partibus, *coniungunt*, paucos *aequo* iure vti patiuntur. Enim vero, ſi naturam audiamus, non omnes inter ſe *aequales* ſunt, ſed plerique, propter diuerſam *copiam* virium ſuarum, quaſi *claſſibus* quibusdam et *ordinibus* diſcreti, aliis iuribus ornantur, aliis officiis reguntur, quam illi, qui non ſunt in eodem ſtatu. Eleganter PROCVLVS noſter obſeruauit, inter ipſas gentes *liberas* diſcrimen aliquod admitti, neque omnes *aequo* foedere *coniungi*, ſed non raro inter illas conuenire, vt, quamuis neutra alterius poteſtati ſubiecta ſit, tamen altera ſit *inferior*, et *maieſtatem* maioris populi comiter agnoſcere et conſeruare iubeatur. *L. 7. §. 1. D. de captiu. et poſtlim.* [b]). Ipſa multitudo ciuium, mores et ſtudia, res ſecundae, amicitia finitimarum ciuitatum, forma reipublicae, et alia multa efficiunt, vt populus populo praeferri poſſit. Certe, in priuatorum ſocietatibus, POMPONIVS ait, interdum boni viri arbitrio conuenire, vt ſingu-

a) PLIN. Lib. II. Epiſt 6. b) CIC. pro L. CORN. BALB. C. 16. BARN. BRISSON de Form. Solemn. Pop. Rom. Lib. IV. c. 49. p. 340.

gulis ſociis *diuerſas* partes, non *aequales*, tribuat, ſi alter ſociorum, plus operae, induſtriae aut pecuniae, in ſocietatem collaturus eſſe videatur. *L. 6. D. pro Socio.*

Quae cum ita ſint, non accuſandus eſt teſtator, qui, cum legatorios ad communis gaudii fructum inuitauerit, tamen ſingulis, pro ſuo cuique merito, *diuerſas* partes beneficii ſui tribuendas eſſe iudicauit.

In eo certe ipſam *naturam* imitantur teſtatores, quod *plures* legatarios ad *communem* hilaritatem conuocent, et, vel *re*, vel *verbis*, vel *vtroque modo*, *coniunctos* relictum ſibi beneficium, quaſi iure quodam ſocietatis neceſſariae, inter ſe *communicare* iubeant. Nimirum, humanioribus ingeniis non ſatis iucundus eſt fructus beneficii, quod, remotis et excluſis aliis, contra *naturae* inſtitutum, quaſi in vaſta quadam *ſolitudine*, percipiendum eſſe intelligunt. Noluit enim *natura*, homines *diſcretos* ac *diuerſos* habitare c), ſed mirifice et varie diſtributis viribus, *coniunctos* demum et mutua ope ſe adiuuantes ſocios, ad ſenſum communis felicitatis iuſſit peruenire. *Naturaliter* nunquam *ſoli* ſunt homines, ſed in *ſocietate* quadam aliorum conſtituti et cum aliis *coniuncti*, donec, vel *facto* ſuo, vel *caſu* improuiſo, a *ſocietate* reliquorum *ſeparentur*. Oppido fallitur PVFFENDORFIVS, qui, cum ſtatum *naturae*, ſeu *naturalem*, pingere inſtituit, fingendum eſſe, ait, miſerum infantem, proiectum *in ſolitudinem*, ab omnibus aliis ſeiunctum, omni humana ope deſtitutum d). Immo vero, non *natura*, ſed hominum improbitas, plerumque efficit, vt quis *ſolus* ab omnibus, qui opem ferre poſſunt, deſeratur. *Naturalis* eſt hominum quaedam *coniunctio*, *L. 4. §. 2. D. de grad. et affin.* a qua diuelli nequeunt, niſi vis quaedam maior, aut inſolita accedat. Ipſe *partus*, auctore VLPIANO, antequam edatur, non *ſolus* in vtero, quaſi in carcere, detinetur, ſed, iure *ſocietatis*, cum matre *coniunctus* eſt, vt *pars* quaedam et portio viſcerum maternorum eſſe videatur. *L. 1. §. 1. D. de inſpic. ventr.* MARCELLVS quidem certe, quod SCAEVOLA teſtatur, foetum ancillae, furto ſurreptae, *partem* matris ſuae eſſe, iudicauit, vt neque vſucapi, nec ſeparatim poſſideri poſſit, donec, *facto* hominis accedente, a matre diſtrahatur atque ſeparetur. *L. 10. §. 2. D. de vſurp. et vſucap.* Ex hoc fonte deducitur, quod mulier, quae nauem, vecturae cauſſa, cum aliis, conduxit, mercede in ſingulas perſonas conſtituta, non plus mercedis ſoluat, quamuis partum in naui ediderit. *L. 19. §. 7. D. locat. conduct.* Videtur enim *ſola* nauigare, quae cum partu nauigat, quem ipſa *natura*, cum vtero materno, quaſi partem quandam viſcerum, con-

c) TAC. de Mor. Germ. c. 16. d) PVFFENDORFF. de Iur. Nat. et Gent. Lib. II. c. 2. §. 2.

coniunxit. Enim vero, ne quidem poſt puerperium mater a foetu ſuo ſe confeſtim retrahit, ſed, vt procreatum alat, ac foueat, atque ad maturitatem perducat, occultis quibusdam vinculis tenetur In beſtiis etiam iſta vis *naturae* inſpici poteſt, quarum in foetu, et in educatione, laborem cum cernimus, *naturae* ipſius vocem videmur audire *e*).

Nemo igitur, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia vitam in *ſolitudine* vult agere, ſed deſiderat aliquam cum aliis *coniunctionem*, vt intelligatur, homines, ad *congregationem* quandam et *communitatem*, ab ipſa *natura*, conuocari *f*). Maiores noſtri, quamuis *diſcreti* ac *diuerſi* habitauerint, non connexis et cohaerentibus aedificiis, ſeruorum tamen caſas et ruſticorum tuguria, non procul a ſe abeſſe, voluerunt, ne, ab omni *ſocietate* excluſi, rerum plurimarum penuria enecarentur *g*). MARCVS TVLLIVS quidem ſibi non ſatis conſtat, qui, homines, in agris diſperſos et in tectis ſylueſtribus abditos, primo a magno et ſapiente quodam viro, quamuis inuitos et reclamantes, vnum in locum, *compulſos* et *congregatos* eſſe, ait, vt miteſcerent animi et ſtudio *ſocietatis* inter ſe *colligarentur* *h*). Prorſus etiam ab omni ratione *naturae* et ſimilitudine veri abhorret, quod DIODORVS SICVLVS tradit: homines, *metu* demum ad *ſocietatem* compulſos eſſe, et cum antea, victu ſanguineo adſueti, deuoraſſent partus ſuos, frugibus inuentis, didiciſſe *coetus* et *conuentus* agere et iungere *ſocietates* *i*). *Metus* enim ſegregat homines et plerisque fugae conſilium perſuadet; tantum abeſt, vt *metus* animos, inuicem ſuſpectos, *conciliaſſe* et *coniunxiſſe* videatur. Quanto rectius ROMVLVS apud TITVM LIVIVM cenſuit, nihil amabilius eſſe hominibus, quam vinculum communis et perpetuae *ſocietatis*. Ille enim SABINARVM iras emolliuit, cum oſtendiſſet, ipſas in *ſocietate* fortunarum omnium et liberorum futuras eſſe, ad quam colendam, ab ipſa *natura*, inuitentur *k*).

Hac de cauſſa, mirifice fauent Legislatores noſtri *collegiis* et *corporibus*, quae ex pluribus perſonis, quaſi membris quibusdam, conſtant, et vni nomini ſubiiciuntur. *L. 30. pr. D. de vſurp. et vſucap.* Non ſolum enim permittentibus, ſed etiam inuitantibus AVGVSTIS coaluerunt *corpora mercatorum* et *negotiatorum*. *L. 17. C. Theod de luſtr. collat*; *corpus fabrorum*, *L. 17. §. 2. D. de excuſ. tutor.*; *corpora artificum* *l*), *corpus* etiam *menſorum*, *L. 10. §. 1. D. de vacat. atque excuſ. mun.* in quae plures coniuerunt,

e) CIC. de fin. Bonor. Lib. III c. 19. *f*) ID. ibid. c. 20. *g*) TAC. de Mor. Germ. c. 16. *h*) CIC de Inuent Lib. I. c. 2. ID. in Orat. pro P. SEXT. c. 42. *i*) DIOD. SICVL. Biblioth. Hiſt. lib. I. p. 8. et p. 30. Edit. Hanou. *k*) LIV. lib. I. c. 9. *l*) LAMPRID. in Alexand. c. 33.

runt, vt, quae a ſingulis fruſtra tentata erant, a *coniunctis* et *vnitis* commodius perficerentur. Hoc vnum fere diſplicet Imperatoribus, ſi multi et opulentiores, vinculo *ſocietatis*, conſtringantur ad ſupprimendam infirmiorum libertatem. His enim ſocietatibus Principes, ſe reſtituros eſſe, promittunt. Wir ſollen und wollen auch die groſſen Geſellſchaften und Kaufgewerbs-Leute, und andere, ſo bishero mit ihrem Geld regieret, ihres Willens gehandelt, und mit Wucher und unzuläßigem Vorkauf und Monopolien viele Ungeſchicklichkeiten dem Reich und deſſen Innwohnern und Unterthanen merklichen Schaden, Nachtheil und Beſchwerde, zugefügt ꝛc. gar abthun und aufheben. § *3. 4. Art. 7. Cap. nouiſſ. Franciſci I.*

Sed ſufficiat, haec in tranſcurſu tetigiſſe. Plura, quae ad hoc argumentum pertinent, in ſcitiſſimo libello, *de coniunctione legatariorum*, cum inſigni apparatu doctrinae tradidit Clariſſimus *Candidatus* noſter.

CXII.

OBSERVATIONES DE

PRIVILEGIO DOLORIS.

AD L. XXXIV. PR. D. DE TESTAM. MILIT.

VITEMBERGAE, DIE X DECEMBR. CIↃ IↃCCLVII.

I.

Eleganter PLINIVS noſter: *hominis* eſſe, ait, *dolore* affici, illumque ſentire, ſed eidem tamen reſiſtere et ſolatia admittere, cum illud ſit ſupra hominis conditionem, *ſolatio* non egere *a*).

II.

Enim vero *dolor*, de quo loquimur, eſt commotio animi, orta ex ſenſu mali et incommodi, quod patimur. In qua re ineſt hoc *beneficium* naturae, quod ſenſu *doloris* admoneamur de magnitudine periculi, in quod delapſi ſumus, et acuatur ingenium *b*), ne, ſegnitie et leuitate quadam animi,

a) PLIN. Lib. VIII. Epiſt. XVI. in fin. *b*) PLIN. Lib. IV. Epiſt. XX.

mi, contemnamus mala noſtra et incommoda, quibus vires noſtrae debilitantur, et rationes iſtae, ad quas procurandas procreati ſumus, perturbantur; ſed vt diſcamus vulneri non prorſus immedicabili medicinam et fomenta adhibere, denique vt ab illis, quae vere nociua ſunt, in poſterum diligentius curatiusque caueamus.

Perfer et obdura: dolor *hic tibi proderit olim* c).

III.

Dolor vel *immediate corpus* afficit atque in neruis et articulis, quod SENECA ait, aliisque partibus exilibus inprimis conſiſtit et ſaeuit, per neruos ad caput peruenit et animum perturbat d). Hunc *dolorem corporis*, ſeu *externum*, appellamus. *Dolor animi*, ſeu *internus*, oritur ex viua imagine et recordatione *mali praeteriti* et ſenſu iacturae, quam paſſi ſumus; qua re mens noſtra confunditur et ab officio ſuo auocatur.

IV.

Corporis dolor, ſi acerrimus eſt et ſummum gradum attingit, propter neruorum, qui conuelluntur, imbecillitatem, interdum ſpeciem *furoris* parit et cum rabie quadam coniungitur. Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS tractant de milite, qui nullis facinoris ſibi conſcius, ſed impatientia *doloris* et *furoris* quadam rabie conſtrictus, poſt conditum teſtamentum, ſe praecipitem dedit, atque ita exſpirauit. *L. 2. C. Qui teſtam. fac. poſſ.* Hic igitur *dolor* cum *furore* coniunctus, nulla hominis culpa interueniente, poenae humanae locum non facit, ſed, propter fati inclementiam, miſeratione non indignus eſt. *L. vnic. C. Si quis imperat. maledix.* Ideoque, cum ille, qui propter *dolorem* furit, nec intelligere nec velle cenſeatur, poenam effugiet. *L. 17. §. 11. D. de Iniur. L. 40. et L. 124. §. 1. D. de Reg. iur.* Certe PAVLLVS, auctore *diuo* HADRIANO, itemque DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS cenſuerunt, teſtamentum illius militis valere, qui, poſt illud conditum, *doloris* acerbitate et *furore* mori maluit; *L. 34. pr. D. de Teſtam. milit. L. 2. C. Qui teſtam. fac. poſſ.* cum generaliter *furor* teſtatoris ſuperueniens teſtamentum antea rite conditum non infirmet. *§. 1. I. Quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam. L. 20. §. 4. D. Qui teſtam. fac. poſſ.*

V.

Etiam quadrupedibus animalibus, ſi, *dolore corporis* concitata, pauperiem fecerint, et domino illorum datur *doloris excuſatio*, vt actio de pauperie locum vix inueniat. Neque enim equus, *contra naturam* feciſſe, iudicatur, ſi, *dolore* concitatus, calce petierit et damnum dederit *impatientia doloris*. *L. 1. §. 7. D. Si quadrup. pauper. fec. dic.* Neque refert, vtrum

c) OVID. Amor. Lib. II. Eleg. XI. v. 7. d) SENEC. Epiſt. LXXVIII.

vtrum VLPIANVS dicta lege equum *dolore*, an *dolone*, concitatum commemorauerit; cum equus *dolone*, h. e. ſtimulo acuto et occulto tactus, *dolore* vulneris aut cutis irritetur *e*).

VI.

Qui vulnere inflicto, aut verberibus effecerunt, vt laeſi etiam *corporis dolores* paterentur, apud Saxones tenentur laeſo *dolorem*, *data pecunia*, penſare. Sie ſind dem Denuncianten die verurſachten Schmerzen mit Rthlrn zu verbüſſen ſchuldig. Romani quidem cenſuerunt, *corpus liberum* eiusque *dolores* aeſtimari non poſſe; *L. 1. §. 5. D. de his qui effud.* ideoque IAGVS duntaxat *impendii* et *damnorum*, quibus patrimonium imminuitur, rationem habuit, in condemnatione eius, qui iniuriam fecit. *L. 7. eod. L 3. D. Si quadrup. paup. fec.* Sed augentur *impendia* curationis, propter *doloris* acerbitatem, cui fomenta adhiberi debent. Praeterea IAGVS, in condemnatione etiam *operas*, quibus quis caruit, aut cariturus eſt, non negligendas eſſe, iudicauit. Sed *dolores* magis impedimento ſunt operis, quam ſenſus plagae cito tranſiturus; ideoque videtur GAIVS *dolores* non prorſus neglexiſſe, in aeſtimatione iniuriae. Quamuis enim homo ingenuus corpus liberum pro mercede plagis non ſubiecturus ſit, tamen ſatius eſt, laeſum *dolores* ſuos, compendio quodam et *pecunia*, conſolari, quam romana animi magnitudine *dolores* perferre et praeterea etiam *pecunia* egere.

VII.

Dolor iuſtus et *verus* dicitur ex *cauſſa*, ſi commoueamur ſenſu veri incommodi, quod naturaliter et ex cauſſa idonea omnino auerſamur. Eleganter igitur PLINIVS *iuſtum dolorem* appellat luctum patris ob filiam amiſſam *f*). Et CONSTANTINVS, patri, fratribus et cognatis foeminae, vim paſſae, accuſationem adulteri prae reliquis concedendam eſſe, cenſuit, cum illos quidem *verus dolor* ad accuſandum impellat. *L. 30. pr. C. ad L. Iul de Adult.* Hinc *maritalis dolor* ab Imperatore GORDIANO inprimis *iuſtus* cenſetur, quem ex vxoris adulterio concepit. *L. 15. C. ad L. Iul de Adult.* GAIVS, maxime liberorum iniuriam ad *iuſtum* parentis *dolorem* porrigi et ab illo vindicari poſſe, ait, cum ipſa natura liberos parentibus commendet. *L. 2. D. de Liber. cauſſ.* Ob *iuſtum* hunc *dolorem* PAVLLVS parentibus poenam mitigat, non prorſus remittit, ſi liberos delinquentes occultarunt. *L. 2. D. de Recept.* Immo vero puniuntur parentes, qui in raptu filiae, intempeſtiua patientia, iuſtum dolorem et vindictam remiſerunt. *L. 1. §. 2. in fin. C. de Rapt. Virg.* Optime PLINIVS obſeruat, in *dolore* iudicando referre, ob quam *cauſſam* quis doleat *g*).

N 2 VIII.

e) Vid. BRISS. de Verb Sign. voc. *dolon.* GERARD. NOODT. in Commentar. ad Pand. Lib. IX. Tit. I. p. 226. *f*) PLINIVS Lib. V. Epiſt. XVI *g*) Id. Lib. IX. Epiſt. XIII.

VIII.

Dolor igitur ortus ex incommodo, quod *naturaliter* auerſamur, *verus* et *iuſtus* eſt, et manet *iuſtus*, quamdiu *mediis lictiis* et innoxiis vtimur, ad malum illud declinandum. Contra, qui animo imperare non poſſunt, et vela dant *dolori*; ideoque *mediis* omnibus, etiam *prohibitis* et magis *noxiis* vtuntur, *doloris impatientia* delinquere dicuntur. *L. 38. §. 12. D. de Poen. L. 3. §. 6. D. de Bon. eor. qui ante ſent. L. 34. pr. D. de Teſtam. milit.*

IX.

Ipmatientia doloris impunitatem non meretur. Qui enim *corporis dolore* impulſi peccauerunt, excuſationem quidem aliquam inueniunt, et mitiore poena merito plectuntur, ſed poena tamen digni ſunt. *Dolor* enim ſubleuat poenam, non tollit *L. 4. C. ad L. Iul. de Adult.* Haec *impatientia* dicitur *inconſultus dolor*, quamuis quoad cauſſam iuſtus ſit, *d. L. 4. C. ad L. Iul. de Adult.* itemque *inconſultus calor*, quo quis ob iuſtum *dolorem* incitatus eſt. *L. 1. §. 5. D. Ad SCtum Turpill. L. 5. C. de Iniur.* Etiam, qui *mori* maluerunt *impatientia doloris*, et tentauerunt ſibi manus inferre, nec tamen flagitium illud perfecerunt, poenae extraordinariae ſubiiciuntur *h*). Miles certe, qui mortem ſibi conſciſcere voluit, quamuis nullius ſibi ſceleris conſcius, cum ignominia mittitur, quod PAVLLVS docet. *L. 38. §. 12. D. de Poen. L. 3. §. 6. D. de Bon. eor. qui ante ſent.* Enim vero etiam illa, quae cum *gemitu* fiunt, vt *comici* verbis vtar, non ſtatim *intolerabilia* videntur. Poſſumus dentes comprimere, animum ſpe conſolari, aut certe ſpem vultu ſimulare, *dolorem* altiſſimum cohibere et ita durare, vt rebus ſecundis nos ſeruemus *i*). *Dolor* maximus nunquam diu in eodem veſtigio perſiſtit; cum ita nos amantiſſima natura diſpoſuerit, vt *dolorem* aut *tolerabilem* aut *breuem* faceret *k*). Quare notam leuitatis non ſubterfugiet, qui *metu* mortis mortem appetiit *l*).

X.

Qui *dolore animi* commoti et iniuria prouocati, neglecto iudice, ſibi ipſis ius dicunt et *dolori* incontinentius indulgent, propter imbecilitatem, quam ratione ſubleuare debuiſſent, non prorſus veniam impetrant, ſed poena tamen afficiendi ſunt. Itaque mitius agitur cum his, qui alapam illis confeſtim infligunt, a quibus verbis aut factis laeſi ſunt. Wovon wir doch das Schlagen mit der Hand, auf gleich immediate vorhergehende Iniurien oder andere Beleidigung, in Erwegung der Schwachheit menſchlicher *Affecten*, in ſo weit ausgenommen haben wollen *m*). Qui alapae alapa reſpondent et mutua iniuria vlciſcuntur iniuriam, remiſſa deprecatione et poena ordinaria, carcere duntaxat puniuntur *n*). Generaliter enim, ſecundum VLPIANVM, illis ignoſcendum eſt, qui ſe vlciſci voluerunt prouocati; *L. 14. §. 6. D. de Bon. liber.* quamuis impunitatem ſperare nequeant *o*).

h) MATTHAEI Comment. de Criminibus p. 479. STRYK. Vſ. Mod. Pand. Lib. XLVIII. Tit. XXI. §. 3. p. 858. *i*) VIRG. Aeneid. Lib I. v. 211. ſequ. *k*) SENEC. Epiſt. LXXVIII. *l*) ID. Epiſt. XXIV. *m*) Königl. Pohln. und Churfürſtl. Sächſ. Mand. wider die Selbſt-Rache, §. 16. *n*) ibid. §. 11. *o*) CARPZOV. Iurisprud. Crim. P. I. Quaeſt. 29. n. 30? MATTHAEI Comment. de Criminibus p. 146.

Bayerische Staatsbibliothek München

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Crell, Christoph Ludwig, 1703-1758 [Sonstige]

Dissertationvm Atqve Programmatvm Crellianorvm Fascicvlvs ...

Bd.: Fascicvlvs XII. Et Vltimvs.

Halae ad Salam 1784

4 Diss. 5010-10/12
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11122898-6
VD18 90544382